D. a.
46

.HORTI.
MALABA.
.P. 9. 10.

Dm I 1741 N:
Schrank
A 4
12
C
2°
BIBLIOTHEK
D a 46
Dir. 3,4

HORTI MALABARICI PARS NONA,

DE

HERBIS

ET DIVERSIS ILLARUM

SPECIEBUS

Latinis, Malabaricis, Arabicis, Brachmannum characteribus nominibuſque expreſſis,

Adjecta Florum, Fructuum, Seminumque nativæ magnitudinis vera delineatione, colorum viriumque accurata deſcriptione,

ADORNATA

Per Nobiliſſimum ac Generoſiſſimum D. D.

HENRICUM VAN RHEDE TOT DRAKESTEIN,
Toparcham in Mydrecht, quondam Malabarici Regni Gubernatorem ſupremi Conſeſſus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium, nunc vero Equeſtris Ordinis nomine Illuſtribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adſcriptum,

In ordinem redegit & latinitate donavit

ABRAHAMUS A POOT M.D.

Notis adauxit, & Commentariis illuſtravit

JOANNES COMMELINUS.



AMSTELÆDAMI.
Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM,
Anno cIↃ IↃc LXXXIX.

POLITECHNIKA
Biblioteka Główna
GDAŃSKA

IV 503035

BIBLIOTHEK

Biblioteka Główna PG
Z zasobów PG | R-317/40 | 2006

IV 503039

Generoſiſſimo Viro

D. GODARDO WILHELMO VAN TUYLL, VAN SEROSKERCKEN,

Domino van Wellant, Solckercken &c. Olim Ordinibus primi loci diœceſeos Trajectinæ adſcripto, Canonico Veteris Monaſterii, Præfecto aggeris ad Leccam ſuperioris.

EN Tibi munuſculum, Vir Generoſiſſime, quod abſens Tibi mitto præſentiſiſſimum mei in Te ſtudii & amoris pignus. Nam etſi longiſſime disjunctus a Te in extremis Indorum terris, & alio, quod ajunt, ſole calentibus agam hoc tempore, ſemper tamen mihi obverſatur jucundiſſima Tui imago. Ea tam alte infixa eſt animi mei medullis, ut nulla temporis, nulla locorum longinquitas eam poſſit obſcurare. Te mihi conjunxit non tantum ſanguinis neceſſitudo, ſed & mirifica morum ſuavitas, ſingula quadam gravitate temperata; nec non omnium egregiarum artium, viro Nobili dignarum, ſcientia præclara. Horas enim Tu vacuas non rebus inanibus, ſed rerum divinarum & humanarum perveſtigationi impendis: de quibus apud amicos diſſeris ſubtilius, quam ii, qui omnem ætatem in illis unice conſum-

ſerunt. Cum igitur tanto pulcherrimarum artium ſtudio tenearis, nullus dubito quin iſtud Horti Malabarici in quo colendo tantam olim operam poſui, volumen, quod tot ignotas orbi noſtro arbores, frutices, herbas detegit, Tibi non ingratum ſit futurum, quique id eo ſis excepturus animo, quo Tibi à tantis terrarum intervallis remoto cognato, ſed qui ubique Te ſemper in oculis geſtat, offertur, hoc eſt amoris & benevolentiæ pleno. Velim enim tibi perſuadeas

Nobiliſsimi Tui Nominis

Studioſiſſimum eſſe

H. VAN RHEDE TOT DRAKESTEIN.

ENCOMIASTICON
Pro Nobili iſthac circa
HORTUM MALABARICUM
RUSTICATIONE,
Viri Eruditiſſimi juxtà ac Laborioſiſſimi
Dn. ABRAHAMI van POOT
Med. Doctoris Celeberrimi, celebranda.

AH quantum mortale poteſt comprêndere pectus!
Ingenii quantum latebræ! quàm maxima prenſat,
Plurimaque, in varias diviſa induſtria curas!
Quæ non inceptant, inceptáque fine coronant,
Queîs largas infudit opes natura, quibúſque
Dulcia virtutum ſtimulos dant præmia; nullo
Poſt cineres ævo moritura gloria famæ?
Vnus ad inſtar erit SCRIPTOR Celeberrimus, HORTVM
Qui tantô MALABARICVM alitque colitque labore;
Vt toti ille ſuas mundo communicet Herbas.
Jam multos laſſavit onus, cui ſubjicit unus
Ipſe humeros collumque noviſſimus: unde, reſumptô
Progreſſu lætatur opus, gaudétque Patrono
Foelici, cujus manibus labor ardet in ipſis;
Structuræ tam magnificæ, cum tempore, lætâ
Idem ornaturus ſublime coronide culmen.
Te ſuper, atque Tuis, VIR MAGNE, laboribus, eſt quod
Attonitus ſtupeat, quiſquis videt: HERCVLIS iſte
Eſt Animus, multis natique laboribus artus;
Mira cui in partes Induſtria ſufficit omnes.
Vndique ſtipatus curis, & rebus agendis,
Accerſis Tu ſponte novas: ut pondere læta
Palma viret, vivis cumulando labore laborem.
Tu quæ ſolus agis junctim, vix ſingula plures
Commodè agant: quant âdigna hæc ſolertia laude?
Arva colis Medicæ ſanè fœliciter Artis;
Sed ne ſola Tuo ſanatis creſcat ab ægris
Gloria corporibus decori, non ultima circa
Infirmos Tibi cura Animos; ruditate reſectâ
Vt ſoſpes ratio, & mens ſana in corpore ſano,
Et vegetans habitet præclara ſcientia vitam.
Hinc eſt, quòd Libris, noctéſque dieſque laborans,
Scribendis aut edendis, incumbere gaudes.
Inter quos primam præbet Tibi ſcriptio palmam
Hiſtoriæ: rebus quâ non duntaxat inhæres,
(Vt multi faciunt:) præſentibus atque propinquis;
Ad longinqua oculos mittis loca: PANNONIS oras
Hæc inter luſtras, illuſtraturus eaſdem.

Præter eos, quos Ipſe Libros componis & edis,
Multa Tibi lucem debent aliena, vetuſtas
Quæ fortaſſe opera, aut alii de Bibliothecis
Abſtulerant caſus; Tua nutricatio rurſus
Curáque reſtituit: vel tranſlatoria mundo
Publicat illa manus, diffundens latiùs uſum.
Quid refert plura addere? ES INDEFESSUS AGENDO:
Pauca quies oculis, Animo vix ulla; retractas
Pervigiles oculos, pérque ipſa inſomnia curas,
Queîs quocúnque modò Reſpublica ſacra juvari
Poſſit, & his meritis Tibi debita gloria quæri.
Euge! lucrum captas vel iniquo judice pulcrum:
Cui conferre nefas argenti aurique ſaburras,
Decantata Tagi, *multorum, munera, ſcriptis;*
Nec, quas dives opum mittit procul India, *gemmas.*
Inceptum virtutis iter, quod ducit ad aſtra,
Proſequere: Invidiæ nîl guttura rauca morare;
Virtuti comes Invidia eſt: *Præſentia famæ*
Demit; at abſentes ultrò comitatur honores.
Jam multis toti ſcriptis ſat cognitus orbi,
Vivis ubique: magis porrò, poſtquàm hora quietem
(Quæ Tibi ſera ſonet!) feſſis dabit ultima membris,
Victurus, pretióque operarum perfruiturus.
Hungara (ſi quid id eſt:) gratanter Natio ſemper
Agnoſcet, quicquid ſumptura eſt muneris à Te,
Nec pietatis erit tantæ immemor: Accipe ſigna,
Quæ Tibi vota dicat, ſincerò fota favore,
Effuſus tenui Veſtra in præconia Muſâ,

NICOLAUS KIS M. TOTFALUSI Hungarus,
Artium Literariarum Magiſter.

Celeberrimo, Singulari, & undequáque Eruditiſſimo

V I R O,

Dn. ABRAHAMO van POOT

Med. Doct. Eximio,

HORTUM MALABARICUM

Bono Publico edenti, Domino & Evergetæ ſuo æternùm Venerando.

INGENIUM MENTISque JUBAR penetrantius omni
FULGURE, cui data ſunt, ARDUA ferre cupit:
Divina hinc POOTÎ Sapientia novit acuto
Viſu, quâ frendens valle moretur APER;
Ingenio cujus MEDICUS non ſufficit ORBIS;
Sicut ALEXANDRO non ſatis ORBIS erat:
Difflando Invidiæ fumum ſublimior exſtat
INGENII & CALAMI dexteritate SUI.
Mira videre mihi videor quotiens TUA VIRTUS:
CURA, LABOR, MERITUM, DEXTERITASque monent.
Arva tenes, VIR MAGNE ΘΕΟΥ-ſacrata-ΛΟΓΙΑΣ:
Nec fugit amplexus HISTORIA Alma TUOS:
Nuper enim EXITII HUNGARICI quos vidimus Annos
Infauſtos, fauſtæ diſpoſuêre Manus.
Teſtis ſum majorum OPERUM: Victoria parta eſt
Pollice de multis, quæ TUA Theca tenet.
Ardua PARNASSI juga tendis adire bicornis:
Quid vetat eximium munus amoris? Iter?
Credo, quòd *Herculeus* LABOR, & moleſtia Vitæ
Non levis exiſtat, duráque CURA TIBI:
Sed perſta! Quoniam LABOR improbus omnia vincit:
Per MARE, per TERRAS, omnibus OMNIS, adeſt:
Ac tantos noſtris proſper conatibus addit
Succeſſus, quantos ſcribere penna nequit;
Euge! *LABORANDUM quia NOX VENIT:* Hæc TUA SPARTA eſt.
Paſce Gregem CHRISTI quâlibet ARTE potes.
Nos etiam STUDIO non ſemper fungimur uno;
Officia Ætati ſunt data cuique ſua.
Diſcolor eſt MUNDI facies, diverſáque RERUM
NATURA: Ipſe vices quattuor ANNUS habet.
BRUMAM VER ſequitur, VER excipit ÆSTUS & ÆSTUM
AUTUMNUS, quem mox frigida claudit HIEMS.
Hunc ſervare modum novit NATURA: Quid obſtat
Aſſiduè partes ſic variare TUAS?
Hinc TIBI LAUS & HONOS nullo delebilis Ævo,
Inque CHORO, inque FORO ſurget aduſque POLUM.
Non puto majus ONUS; ſed nec puto majus HONORIS
PONDUS in hac vita poſſe manere VIRUM,
Publica quàm VIRTUS ſi quem manifeſtat, ut ARTE

Sanâ

Sanâ, aliis gratâ, pandere vela queat.
Nec dubitare juvat: SACRORUM CURA ferax eſt:
Per FRETA, per FLORES & THYMA ſumma volat
Inſtar APIS, redolétque THYMO fragrantia mella,
HOC EST, Virtutum Prœmia corde fovet:
IRRADIAT TERRAS; neque enim latitare valens eſt;
Dat MARE, jungit OPES, DETERIORA fugit:
Niſibus occultis & ſurgit ut Arbor in auras:
Sic neque SACRA ſilent; nec latitare ſinunt.
Non nôrunt AQUILÆ imbelles generare COLUMBAS;
SACRA nec immundas progenerare MANUS:
Hinc POOTI CURA & MERITUM, LABOR improba Virtus,
Permiſtos FLORES audet adire foràs.
Dic ubi præcipuè? MALABARI ſuſtinet HORTUS
Nunc, nimiùm faciles POOTII utraſque MANUS.
Pervigiles ibi quid peragunt? peteretur ab HERO
Præcellens venia? Nobilis HORTUS enim eſt?
Siſte gradum! Quoniam cum quo rem gerit adſtat
Ipſe DEUS, largas qui tulit Almus opes:
Hinc eſt, quòd glomerare Roſas, Lapathum atque Melanthium:
SEMINA mox ſecum ſingula ferre, queat.
Adrachnem, Daucum, Ammum, Apiaſtrum, Urticam, Alicaſtrum,
Diverſi generis SEMINA ſic habeat:
SEMINA quæ mixtim confuſa videbat acervo
Seligat, & Nomen cuique ſuum tribuat.
Difficilis LABOR eſt fateor cui ſubjicit UNUS
Ipſe CAPUT; quoniam Pondus Onúsque tenet:
Quo ſuper innumeri MEDICI ſudando periti
Multa dabant ſcriptis, SOLUS adimplet. Atat!
Dignum Laude VIRUM PIETAS, SOLERTIA, CURÆ
Ingeminant: Laudes hoc OPUS ARTE dabit.
Nolo OPUS hoc multis laudari: Non OPERANTEM:
Aſt OPUS inſpicito. Vis quod? Utrúmque dabit.
Perge bonis Avibus, DOCTOR CELEBERRIME POOTI
Sit TIBI CURA SOLI, ſit TIBI CURA POLI.
Interea vigeas PIETATE, recepta LABORUM
BLANDITIES, DOCTOR Purus & Harmonicus.
Sed quia non FELIX CONATUS ET UTILIS UNQUAM;
CONSILIUM SI NON DET QUE JUVET QUE DEUS:
Tu DEUS, Omnipotens GENITOR, Μονὰς & τελος unà,
ARBITER Æterne, ſis ſine ſine prope!
Proſper adeſto Tuas LAUDES, Tua DONA canenti,
Extollàsque inter nubila denſa CAPUT!
Vivere longævos DOCTOREM *Neſtoris* Annos
Fac Supreme PATER! Nam Tua Téque cupit:
DUC ME, NEC SINE ME PER ME DEUS OPTIME DUCI
Ingeminat: Quoniam SE DUCE pulvis erit.
O Deus exaudito VIRUM! Servato LABORES
Ingenuo amplexu, quos meruêre dies!
O Deus hunc tueare VIRUM! Tua voce canentem
Suſcipias, foveas nectare AMORIS! AMEN!

L. M. Q. Levidenſem hunc Carminum Apparatum
AMSTELODAMI fudit

NICOLAUS APATI P. D.

Tsjovánna-areli lat.

ചൊവന്നഅരെളി mal.

Canéru

कणेरु bram.

شوماتغ عرهلي Arab.



Nerium odorum. Ait.

HORTI MALABARICI PARS NONA DE HERBIS ET DIVERSIS ILLARUM SPECIEBUS.

TSJOVANNA-ALERI VEL *FOLA MESTICA INCARNATA.*

TABULA I.

A*Reli*, Bramannes dicunt *Caneru*, duæ ſunt ſpecies; *Sjovánna-Arelì*, & *Belutta-Areli.* Prior planta humilis eſt, *ſtipite* medio recto aſſurgente, qui ramos ſurſum verſus obliquè emittit, craſſities fermè brachium adæquat, colore albo, corculo item albicante, dein cinereo; *Rami* ſuperiores geniculati ſunt, cortice viridi, primùm triangulati, poſtea magis magiſque ad rotunditatem vergentes, angulis evaneſcentibus. *Folia* in geniculis terna ſurrecta prodeunt, ſingula ex angulis lateralibus, pedunculis parvis, craſſiolis, viridi albicantibus, interius planis, ac ſe mutuo eo ordine decuſſantia, ut in eadem ſerie ceu linea ſibi mutuo reſpondeant; oblongo anguſta, cuſpidata, in inferiori parte ſtrictiora, longitudine unius circiter ſpithamæ, pollicis latitudine, texturâ craſſa,

ſpiſſa, ſolida, flexilia, ſuperficie plana, glabra, in recta parte viridi fuſca, nitentia, in adverſa clara. *Coſta* media rotunda eſt, craſſa ac candida, in adverſa parte eminens. Foliorum ſapor amarus, nullius odoris. *Flores* in ſummitate ſurculorum in petiolis, qui terni ſimul ex angulis lateralibus erumpunt, ac ad exortum parvo cuſpidato viridi foliolo, quod dein decidit, ſuccinguntur, plures congregati, ſeptem, octo videntur; ſuntque roſæ plenæ, foliolis rotundiolis, anterius leviter cuſpidatis, incarnato roſaceis, tribus ordinibus deſtinctis, quorum ſinguli quinque conſtant petalis; exterioris ordinis intenſius rubeſcunt; medii latiora ſunt ac roſaceo dilutiora, exterius magis albicantia & nitentia; intimi valde criſpata, in medio interius tenui zonula albicante obducta, ex qua floſculos ejiciunt candidos, collum in collo foliorum medii ordinis includitur. *Stamina* in medio numerantur decem flocculoſa, inferius plana, glabra, candida, ſuperne pilis barbata & tortuoſa. *Calix* ex quinque anguſtis, viridibus, cuſpidatis foliolis conficitur. Odor fragrans ac amæniſſimus. *Gemmæ* oblongæ ſunt, foliis ſupra ſe invicem convolutis, ac rubro fuſco nitentibus. In floribus præterea animadvertendum, quod primò magis rubeſcant; ac deinde magis ad incarnatum vergant; item quod rarius dent *fructum*, ac non niſi in vetuſtioribus plantis; cujus *germen* tum in flore, ut *ſtylus* candidus, oblongus, lanuginoſus apparet; ſuntque oblongi ac anguſti, ſeſquidigitales, lateribus duobus complanatis, virides, ex petiolo verticem verſus in cortice lyris denſis ſtriati, quarum duæ in medio laterum profundiores, ubi in duas ſe relaxant capſas oblongas, quarum ſingulæ unica lata obducuntur ſutura, in qua ſe præ ſiccitate aperiunt; cortex interior lanuginoſus eſt rigidus & albicans, verſus interiora ſe inflectens, ac ibi duos veluti loculos ſeminales efficiens. Floret hæc planta toto anno; nullius in medicina uſus eſt.

TAB. I.

Tsjovanna-Areli eſt *Nerium Indicum latifolium, floribus plenis odoratis. Hermanni Cat. Hort. Lugd. Batav.* Primum ab Auctore huc delata eſt; ad ſpecies pertinet *Apocyni*, in omni enim parte notas illius Characteriſticas oſtendit.

Belútta-arelí lat.
വെളുത്ത അരളി Mal.
Dauó-canerú
दवोकणेरु bram.
[illegible] arab.



Nerium odorum fl. pl. Ait.

BELUTTA-ARELI
AUT
FULA-MESTICA ALBA.

TABULA II.

A priori planta hæc ſolum differt, quod flore ſit ſimplici pentapetalo, ac colore candido, dein ad incarnatum dilutiſſime vergente: interior florum tunica flaviuſcula, venis in longum radiata, ex ora ſuperne floſculos plures oblongos albicantes ejiciens. *Staminula* flocculoſa ſunt, oblonga, capillata, criſpatim convoluta; *ſtylum* in medio habent candidum, capitulo dotatum; grati imo gratiſſimi odoris flores ſunt; ſed nullum in medicina habent uſum.

TAB. II.

Belutta-Areli conſpecies eſt præcedentis, ac ad idem pertinet genus, ſecundum notas illarum Characteriſticas; & eſt *Nerium Indicum anguſti folium. floribus odoratis ſimplicibus. Hermann: Catal. Hort. Lugd. Batav.*; hæ ut & omnes *Apocyni* ſpecies pro noxiis habentur; & quamvis arbuſculæ hæ liquorem non ſtillent lacteum, ut reliquæ *Apocyni* ſpecies, aſt clarum & limpidum, nihilominus tamen præcipua indicia cum illis *Apocyni* conveniunt; flos nempe pentapetalus, ſiliquæ, & ſemina, quæ lanugine ſunt obducta; & ulterius diſcernuntur quia arbuſculæ evadunt, cum *Apocynum* tantum ſit herba, quæ inter *Nerium* ſive *Rhododendron* numerari debet.



Periploca arborea.



Periploca arborea.

NELEM PALA.

TABULA III. IV.

N*Elem Pala*; Bramannicè *Vtago Culo*, planta eſt naſcens in arenoſis, ad altitudinem trium ferme hominum; *caudex* unius hominis craſſitiem adæquat. *Flores* petiolis craſſis, viridibus, piloſis, ad exortum foliolis exceptis, in vertice ſurculorum, plures congregati proveniunt, pentapetali, oblongi, craſſioli, cuſpidibus verſus unam partem inflexi, exteriora verſus criſpati, intus flavo rubeſcentes, exterius virideſcentes; *umbilicus* in medio eminet cavus, rotundus, rubeſcens, in ipſa ora folioſa lacinia annulari rubra, quæ ad interſtitia foliorum cuſpides ſurrectos protendit, velut collari ſurrecto circumdatus, quod ſuperne fuſceſcit. Ex hujus meditullio *ſtylus* ſeſe erigit oblongus, conicus, lignoſus, albicans, parum piloſus, theciformis, conſtans ex quinque ſtamunculis columnaribus unitis, intus globulum recondens viridem, rudimentum fructus. *Calix* viridis ex quinque rotundiolis conſtat foliolis. *Gemmæ* conicæ ſunt, in quibus florum petala ſpiratim ad verticem convolvuntur, exterius viridi fuſca ſubcæruleſcentia ceu hyali coloris, interius viridi dilutiora, & lacte turgentia. Balneo ex foliis & cortice arthritricæ curantur febres; algidæ vero pilulis ex fructubus formatis; liminento ex radice & virente *Curcuma* in *Orizæ* lotura & *ſero lactis* contrita, calida depellitur arthritis; ex *cortice* radicis levigato fit globulus ad magnitudinem Arekæ, qui devoratus præſentaneum in morſu ſerpentis remedium eſt.

TAB. 3. 4.

Quamvis Nelem Pala non ſit herba, ſed in arborem evadat, tamen è genere Apocyni excludi non poteſt, omnia enim indicia id pro vero affirmant, atque ideo ipſi nomen dedi *Apocynum Malebaricum Arboreſcentis, Limonii folio, flore ex flavo rubeſcente, ſiliquis maximis.*

Belútta-káka-kódi lat.


വെളുത്ത കാക്കകൊടി Mal.

ووهِلوطّا قاقا قُوضِي arab.



Pergularia tomentosa L. ?

Belútta-káka-kodí Lat.



Pergularia tomentosa L.?

BELUTTA-KAKA-KODI.

TABULA V. VI.

B*Elutta-Kaka-Kodi*, planta repens eſt; *rami* craſſioli, rotundi, geniculati, in geniculis nodis extuberantes, ligno albo, cujus medulla craſſa, viriduſcula; *cortex* viridis eſt & flaveſcens, valde lignoſus, uterque valde lacteus. *Folia* geminata & ordine decuſſato videntur in geniculis ramorum, quorum petioli oblongi, rotundi, craſſi, viridi flaveſcentes & lanuginoſi; ſuntque ampla, parum oblonga, anterius cuſpide anguſto eminentia, texturâ craſſa, in adverſa parte valde lanuginoſa, leniſſima, viridi albicantia, in recta pilis minutis ſparſim obſita, ac ob conum hirſutum ſemi aſpera, viroris fuſci ac nitentis. *Coſta* media plures laterales emittit, quæ omnes in adverſa parte eminent. *Flores* ſimul plures ſe exhibent in ſurculorum cacumine, quorum pediculi, craſſioli, rotundi, virides ac rubeſcentes, ad exortum parvis cuſpidatis rubeſcentibus foliolis ſuccincti; pentapetali ſunt & candidiſſimi, petala ipſa oblonga, unguiculis ſtricta, anterius latiora, ac rotunda ora, ad unam partem incurvata, ubi dilutè ex croceo flaveſcunt; illorum *collum* oblongo rotundum eſt ac lacte turgens, ad calicem ſtrictius ac velut quinque coſtulis extuberans, exterius nitens ac ex collo flaveſcens, interius flava lanugine obſitum. *Calix* collum arcte excipit, coloris ſanguineo rubri, conſtans ex quinque rotundè cuſpidatis foliis. Odor fragrantiſſimus eſt, ipſa Caryophilla, & cum flaveſcunt flores, Melones maturos ſpirans. *Stylus* illorum conicus & flaveſcens, ex quinque rigidiuſculis, lignoſis, cuſpidatis, albo flaviuſculis componitur ſtaminulis, interius bifurcatim diviſis, includitque capitulum craſſiuſculum, viride, ex meditullio calycis emergens. *Gemmæ* florum conycæ, foliis ſpiratim convolutis conſtantes, primò rubro fuſco ſanguinei coloris; dein cum nitore albeſcentes, & antequam ſe aperiant flaveſcen-

tes; quorum *calyx* rubro-ſanguineo-fuſcus. *Fructus* geminati prodeunt, longi, rotundi, anguſti, in cuſpidem deſinentes, ex una parte virides, ex altera qua ſoli expoſiti rubeſcentes, ſulco ſtriati, cortice valde lacteo, congeriem numeroſorum in ſe continentes *ſeminum*, quæ plana ſunt ruffa, ac ſe mutuo ſcutellatim obtegentia, penicillo argenteorum inſtructa ſtaminum, quæ ſe tandem in orbem diffundunt. Vires ignorantur.

Tab. 5. 6.

Belutta-Kaka-Kodi inter conſpecies omnium maxima eſt, atque ideo à me vocatur *Apocynum Indicum maximum, folio amplo, rotundo, flore candido, ſiliquis longis.*



Periploca tunicata W.

ADA-KODIEN.

TABULA VII.

ADa-*Kodien* planta eſt ramis ſe vinciens ſinuoſis. *Radix* albicans fibroſa; intus filamento lignoſo, nullius ſaporis. *Caules* rotundi virides, nodulati, intus parum lignoſi ac lactei. *Folia*, bina & bina, ordine ſe mutuo decuſſantia, in rotundis, longis, tortuoſis petiolis proveniunt, oblongo rotunda, inferius latiora, anterius rotundis oris in cuſpidem contracta, mollia, lactea, lenia, in adverſa parte plurimis coſtis, quæ rectam ſtriant, cancellatim obducta, viroris clari, in recta parte fuſci, ſaporis ſylveſtris. *Flores*, qui nullum ſpirant odorem, plures congregati ex origine foliorum in nodulis proveniunt, cyathiformes, pentapetali, cuſpidati, rigidi, ſurrecti, interius nonnihil cochleato cavi, viridi flaveſcentes & albeſcentes, oblonga, purpureo rubra ſtria in medio verſus cuſpidem notati, exterius magis albicantes, & ab utraque parte velut rubro limbulo circumdati, ex quorum meditullio *ſtylus* exſurgit craſſus, viridi flaveſcens albicans, qui ad verticem in quinque acutos ſtringitur angulos, quinque cuſpidibus nigris in vertice inſtructus; *Calyx* planus, quinque foliis flores arcte ſuccingit, in fundo rubris arcubus ſtriati. *Gemmæ* conicæ ſunt; *Fructus* oblongi, anterius cuſpidati, tres eminentes habent coſtulas, ac in ſe congeriem oblongo rotundorum ac planorum continent ſeminum, quæ mutuo ſe invicem obtegunt, & anterius ex ſtricto orificio *penicillum* oblongorum argenteorum filamentorum emittunt, ſuntque primò viridi flava, dein rubeſcentia, in totum hi fructus ſimiles ſunt fructubus *Ericu*. *Radix* pulveriſata & oculis inſperſa nubeculas aufert, vel cum butyro cocta & epota. *Bulbus* cum radice *Palmæ* agreſtis & *Scelengu* tritus & cum pulvere *Ada Kodien* in panno conſutus, adjecto modico, *Sandali*, *Jeribili* nigræ & recenti butyro lento igne ad ceræ conſiſtentiam redactus,

ctus, pro quovis oculorum vitio mane & veſperi ſumitur: Idem cytrino *Sandalo* ac *ſaccharo* mixtus, in pulverem redactus, & in pillulas formatus oculorum pathemata ex bile ſanat: vel denique ſi cum foliis *Ficuum Inferni*, radice *Talu-Dama* primum in aqua, dein in vaccino *lacte* decoquatur & *ſaccharo* miſceatur, quovis oculorum morbo opitulatur: vires enim hujus plantæ plane ophtalmicæ ſunt.

Tab. 7.

Delineatio & deſcriptio hujus plantæ differre videntur reſpectu foliorum, quæ bina & bina ſe invicem non decuſſant; ut omnibus *Apocyni* ſpeciebus, quod deſcriptio per bene exprimit, commune eſt; unde etiam liquet hanc plantam illis adnumerari debere; ego illam vocarem *Apocynum ſcandens, flore variegato, ſiliquis* Ericu *ſimilibus.*

KA-



Echites tomentosa Vahl.

KAKA KODI.

TABULA VIII.

K*Aka-Kodi*; vel ſecundum Bramannes *Kiti*, planta eſt naſcens in arenoſis, ſcandens & ſinuoſis ramis arboribus ſe circumvinciens. *Radix* fibroſa; *ſtipes* pedem craſſus, cum vetuſtioribus ramis, *corticem* habet cinereum, qui in filamenta deducitur. *Folia* in ſurculis primo viridibus, qui poſtea nigreſcunt, & ex ramorum nodis oriuntur, ad exortum extuberant & geniculati ſunt, gemina ſe mutuo decuſſant, oblongo anguſta, ad pediculum rotundiola, cum cuſpide brevi in vertice, texturâ craſſa, ſpiſſa, denſa, glabra, viroris in recta parte vividi, fuſcioris ac valde nitentis, ſaporis ſubaſtringentis ſubacidi & vinoſi. *Coſta* media cum lateralibus utrinque eminet. *Flores* in umbellis proveniunt, vel ex cacumine ſurculorum foliaceorum, & tum ſunt longiores, vel ex illorum latere, & tum breviores ſunt, ſuntque parvæ flaveſcentes gemmulæ, conſtantes quinque foliis oblongis anguſtis ac flaveſcentibus interius pilis candidis lanuginoſis veſtitæ, maxime in orificio ſuperioris colli, tenuius ac rarius in foliis; illorum collum flavum eſt & ſuperiori parte ſtrictius; *calyx* ex quo emergit flaveſcit. *Fructus* ex uno flore bini eduntur, oblongo rotundi, anterius ſtrictiores, in prima parte arcte uniti & mutuo obverſi, cortice viridi, glabro & craſſo, qui cum ſiccus eſt lignoſus redditur, exterius nigricans, & rugis in longitudine ſtriatus; *ſemina* verſus partem inferiorem vel craſſiorem continent plurima, quæ in ſtrictiori parte vel cuſpide *penicillum* emittunt oblongorum argenteorum filamentorum; ſuntque plana, valde compreſſa & tenuia, oblongo rotunda, ſcutellatim diſpoſita, primum viridia, dein albeſcentia, tandem rubro fuſca, oculo albicante inſtructa; flores illos *Watta-Caca-Codi* magnitudine ſuperant, ut & penicillus. *Folia* in ſuppreſſis lochiis uſui veniunt; eadem cum lacte *Nucis*

Indicæ contrita & pectori illita, doloroſam cordis palpitationem, atque hinc promanantem præfocationem ſpaſmumque corrigunt. *Radix* cum teneris *Arequeiræ*, *Palmæ* ſilveſtris ac *Toddeli* radicibus in *ebutyrato lacte* ac *vaccæ lotio* decocta, affectæque parti illita, renum doloribus ac Iſciaticæ; vel etiam cum *Tondo*, *Uliuja* aliisque radicibus in *lactis ſero*, & *oleo foliorum de Inferno* cocta gonagræ, vel denique cum radice *Talu-Dama*, primo in *aqua*, dein in *oleis Sergelim*, *Bepa-Meis-Elu*, ac poſtea *in ebutyrato lacte*, *Tamarindorum & Muringu* ſuccis ad ceræ conſiſtentiam cocta, in univerſum arthritidi medentur, quarum octoginta ſpecies incolæ enumerant; quemcunque enim dolorem flatus corpori afficiant, arthritidis, tanquam morbi principis, nomine ſalutant.

Tab. 8.

Eſt *Apocynum Indicum floribus parvis, flaveſcentibus, umbellatim diſpoſitis, ſiliquis nigricantibus, oblongè ſtriatis.*

KU-

Kudici-kodi Lat.

Mal.

Ouda-valli

bram.

Arab.



Periploca albo-flavescens.

KUDICI KODI.

TABULA IX.

K*Udici-Kodi* , alio nomine *Duda-Valli* planta repens eſt naſcens in petroſis. *Caules* rotundi, tortuoſi, geniculati, ſuper ſe invicem convoluti, parum lignoſi & virides, quorum *medulla* viridi aquea. *Folia* pediculis craſſis, viridibus, interius planis geminata proveniunt, oblonga, ad pediculum, rotundo ambitu, in cuſpidem anterius ſtricta, texturâ ſpiſſa, craſſa, ſuperficie plana & glabra, viroris in recta parte ſaturi, in adverſa diluti, ſaporis ſilveſtris. *Coſta* media in adverſa parte eminet, ac non nihil in recta. *Flores* in faſciis umbellatis, oblongo rotundo petiolo, in geniculis ad exortum foliorum proveniunt, ſtelliformes, pentapetali, oblongi, cuſpidati, viridi-diluti ex albo flaveſcentes, in medio petalorum vena viridiuſcula ſtriati, collo craſſo, orificio rotundo ac profundo, exterius in collo venis rubeſcentibus inſtructi, odoris expertes. Ex illorum meditullio *ſtylus* emicat craſſus, albicans, theciformis, ex quinque *ſtaminulis* candidis ſpiratim convolutis compoſitus, quæ ſingula apice oblongo, cuſpidato ſunt dotata, & ſimul juncta capitulum ſtyli efformant, in quo *filamentum* reconditur viride, capitulo oblongo, viridi præditum, capitulum ſuum cum ſtaminibus tanquam propriam theculam emittens. *Sedes* cui ſtylus inſidet ſtellata eſt, quinque radiorum, qui collo ad interſtitia petalorum ſunt aſſuti. *Calyx* florum collum arcte excipiens, quinque habet cuſpides, in cuſpidum oris rubeſcens. *Gemmæ* oblongæ ſunt, primum virides, dein viridi flaveſcentes & albeſcentes. Linimentum ex hac planta cum vaccino *lacte* , oleo *Sergelim* paratum, temporibuſque applicatum, narium ſiſtit hæmorrhagiam.

TAB. 9.

Deſcriptio hæc non eſt perfecta, deficit enim forma ſucci, fructuum vel ſiliquarum, ex delineatione tamen facile deſumi poteſt, quod ſpecies ſit *Apocyni*, cui hoc nomen dedi; *Apocynum Indicum, folio oblongo, glabro, flore ex albo flaveſcente.*

Pars 9 Tab. 10

Wállia-pal-válli lat.

വള്ളിയപ്പാൽവള്ളി mal.

وَالِيَغْ يَعَلْ وَلِّيْ arab.



Periploca cordata. Lam.

WALLIA-PAL-VALLI.

TABULA X.

W*Allia-Pal-Valli*, eadem eſt planta ac præcedens, in eo tantum differens, quod *flores* ſtamunculis careant. *Fructus* oblongi, cuſpidati, ſeminibus repleti, quæ anterius filamentis argenteis quaſi barbata ſunt. *Folia* recenti *butyro* commixta pro linimento ad verſus exiles adhibentur carbunculas.


Tab. 9.

Etiam hac deſcriptio imperfecta eſt, ita ut de ea divinari liceat, nihilominus tamen inter *Periplocas* vel ſpecies *Apocyni*, ob faciem ſuam externam, recenſeri debet.

Kátu-pal-válli lat.

കാട്ടുപാൽവള്ളി Mal.

قَحَاطُوبَعَلْ وَالِّيْ arab.



Periploca mauritiana.

KATU-PAL-VALLI.

TABULA XI.

KAtu-Pal-Valli, planta eſt ramis ſe vinciens ſine ullis claviculis; *ſurculi* rotundi, glabro viridi *cortice*, geniculis extuberantibus interſtincti, medulla lactea eſt & viſcoſa, ſicut & cortex. *Folia* petiolis flaccidis, craſſis, interius ſulco ſtriatis ac viridi dilutis, gemina ſe invicem decuſſant, oblongo rotunda, in vertice cuſpidata, oris verſus exteriora criſpatis, texturâ craſſiuſcula, ſpiſſa, ſolida ac maximè mollia, ſuperficie plana & glabra, viroris in recta parte umbroſi & nitentis, in adverſa ſurdi & viridi albicantis, odoris agreſtis. *Coſta* media in adverſa parte altùm eminet. *Flores* plures congregati quaſi faſcia videntur, hinc inde brevibus ſuccinti foliolis cuſpidatis, pentapetali, oblongi, anguſti, cuſpidati, viridi diluti, parum verſus exteriora criſpati; umbilicus *ſtylum* emittit theciformem, ex quinque ſurrectis quaſi ſtilulis conſtantem, interſtitiis petalorum obverſis, capitulo albicante dotatis; ac ipſe viridem recondit gemmulam, ad latera parum compreſſam, in medio per verticem ſutura viridi-fuſca ſtriatam, ubi ſe ſolvit, & germen fructuum eſt. *Calyx* quinque foliatus florem arcte excipit. *Gemmæ* oblongæ in conum ſtrictæ, foliis ſpiratim convolutis. *Fructus* ex uno flore in commune calice proveniunt quinque, oblongi, recti, in cuſpidem deſinentes, ad baſin juncti, quorum medium longo ſtriatur ſulco, cortice exteriori valde lacteo & viridi, interiori cuticula viridi flaveſcente, cartilaginoſa, carne viridi corticis exterioris obſtipata. In hiſce continentur *ſemina* oblongo rotunda, plana, ruffa, ſcutellatim diſpoſita; in ſuperiori parte penicillo argenteo tenuiſſimorum filamentorum, inſtar ſerici lenium, inſtructa, in medio interioris ſuperficiei ſuturam habent albicantem & flaveſcentem; intra corticem *nucleus* abſconditur candidus,

didus,

didus, admodum tenuis; ſuntque ſemina hæc primùm viridia, dein rubro ruffeſcentia. Planta hæc *oleo* incocta oculorum vitia emendat; pedum tumores, quos ab incantamenti occultis viribus, derivat populi hujus ſuperſtitio, evaneſcere facit; ubi trita hujus plantæ folia affectis partibus applicantur.

TAB. II.

Planta hæc à me vocatur *Apocynum Indicum ſcandens, latifolium, flore viridi diluto, ſiliquis oblongis, cuſpidatis.*



Periploca Palvalli

PAL-VALLI.

TABULA XII.

PAl-Valli planta ſcandens eſt, cujus *caules* tenues, rotundi, lignoſi, geniculati, cortice ſpadiceo. *Folia* in geniculis geminata proveniunt, oblongo rotunda, anterius obtuſo cuſpide, craſſa, viroris ex una parte umbroſi & nitentis, ex altera clari. *Coſta* media unà cum lateralibus in adverſa parte eminet. *Flores* ad exortum foliorum racemati, non nihil villoſi videntur, pentapetali, anguſti, interius viridi diluti, exterius rubeſcentes, collulo albicante, in cujus inferiori orificio *globulus* apparet, in vertice *ſtylo* inſtructus parvo. *Fructus* ex ſingulis floribus gemini eduntur, rigidi, oblongi, anguſti, parum complanati, ſpadiceo rubeſcentes, ex una parte nonnihil virides; intra corticem tenuem & cartilagineum, *ſemina* includuntur oblonga, anguſta, albicantia, ſulco ſtriata, ac ibi carne viridi repleta, anterius penicillo argenteorum ſtaminum dotata. *Folia* cum *Orizæ* lotura trita carbunculos exſiccant exiles: *radix* antefebrilis eſt, ſumta cum *Coriandro* & *Zingibere*.

TAB. 12.

Mihi eſt, *Apocynum Malabaricum ſcandens, latifolium, flore rubeſcente, ſiliquis, longiſſimis & anguſtiſſimis.*



Asclepias alexicaca Jacq.

NANSJERA-PATSJA.

TABULA XIII.

NAnſjera-Patſja, Bramannes dicunt *Dadu-Valli*, naſcitur in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa, intus filamento lignoſo, odoris debilis, ingrati. *Caules* rotundi, viridi diluti, glabri, geniculati, teneriores ſpadiceò diluti & villoſi. *Folia* in geniculis, quorum pediculi craſſi, geminata erumpunt, oblonga, in cuſpidem ſtricta, craſſiola, ſpiſſa, mollia, glabra, viroris diluti & nitentis in recta, in adverſa parte clari, ſucco limpido repleta. *Coſtæ* in utraque parte nonnihil eminent. *Flores* faſciatim geniculis caulium adhærent, pentapetali, oblongi, cuſpidati, viridi diluti, qui ad unguiculos roſaceo rubeſcunt; in medio *capitulum* apparet rotundum, feneſtratum, ex *ſtylo* conflatum, quem quinque cuſpidata, nervoſa, craſſa, roſaceo rubeſcentia, verſus ſtyli verticem rigide inflexa foliola, cuſpidibus arripiunt. *Gemmæ* plano rotundæ, parum cuſpidatæ & rubeſcentes. *Calyx* quinque conſtat foliis. *Fructus* ex ſingulo flore prodeunt gemini, oblongi, anguſti, in cuſpidem deſinentes, virides, ad pedem tranſverſim ſiti; *Semina* in ſe continent numeroſa, plana, ſcutellatim diſpoſita, *penicillum* argenteum anterius includentia. Integra hæc planta cum aqua *Lanjæ* venenum per vomitum expellit; idem præſtat ſi cum *Sandalo* vero, *ovo* ac muliebri *lacte*, temporibus atque pectori inungatur. Trita cum radice *Car-Elu-regon*, atque *Oriſæ* incocta *radix*, ac læſæ parti illita, rabidi felis morſum fruſtra facit. *Succus* cum *Codagen*, *Manga-Nari*, *Carinta-Tali* & *Sandalo* mixtus ac temporibus illitus, toxici vires infringit. Cum floribus *Palmæ* agreſtis, *Coluppæ*, & *Samſtru-vari* cum muliebri *lacte* ſumtus, plane medicamentum eſt Alexipharmacum; cum radice *Angolam*, *Tiru-tali* & *Amel-Podi* vaccino *lacti* ſi incoquatur, capitique ac pectori illinatur, omne

virus internum, & inde ortam ſyncopen ac præcordiorum æſtum tollit; ita ut hujus plantæ energeia in totum ſit alexicaca.

TAB. 13.

Nanſjera-Patsja, planta ſcandens eſt *Apocyni* ſimilis, ſucco limpido turgens.

Kámetti-válli lat.
[illegible] Mal.
úra-válli
उरवाली bram.
[illegible] Arab.



Echites costata Forst

KAMETTI-VALLI.

TABULA XIV.

K*Ametti-Valli*; lingua Bramannum *Ulu-Valli* planta eſt naſcens in arenoſis ac ſinuoſis ramis ſe arboribus circumvolvens, cujus altera ſpecies *Tsjera Cametti-Valli*. *Radix* brevis, craſſiuſcula, intus lignoſa, fibris veſtita, quam plurimas ſpargens laterales. *Stipites* ad radicem craſſi, cortice cinereo, rami tenues, geniculati, cortice ſpadiceo fuſco rubente, ſuntque ſublactei. *Folia* cum ſuis pedunculis bina, trinave in geniculis ramorum proveniunt, oblongo rotunda, cuſpide oblongo anguſto, exteriora verſus reflexo, denſa ſunt, craſſiuſcula, mollia, lactea, plana, glabra, viroris in recta parte nitentis. *Coſta* media in adverſa parte eminet, ſaturè rubeſcens; in recta tenuiter exſtat viridi albicans. *Flores* umbellatim in apice ſurculorum, cum ſuis pediculis rubris videntur, pentapetali, oblongo anguſti, cuſpidati, coloris interius candidi, exterius rubeſcentes, collulo oblongo, rubro circa medium turgeſcenti; *Stamina* in illo continentur breviſſima, quinque flavis, oblongis, ſtriatis ac cuſpidatis, ſurrectis apicibus dotata; *Stylus* tenuis, viridi albicans: *Calix* parvus viridiuſculus, quinque cuſpidibus collum florum arctè arripiens. *Gemmæ* oblongo rotundæ, anterius nonnihil ſtrictiores, primò virides, dein rubeſcentes. *Siliquæ* ex ſingulis floribus prodeunt binæ, poſteriori parte invicem annexæ, oblongo anguſtæ, anterius ſtrictiores, venis ſecundum longitudinem ſtriatæ; primum rotundiolæ ac ſurrectæ, dein ad latera compreſſæ, cortice exteriori fuſcè rubeſcentes, intus cortice albo ſubrufo. *Filamentum* in hiſce continetur craſſum, cortice cartilagineo, corculo viridi, humido, fuſceſcente; exterius tenui, fuſce rubeſcenti membranula, veſtitum. *Semina* in illo reperiuntur valde plana, tenuia, oblongo rotunda, tenui, membranoſa

ac transparente lacinia ſuccincta, in unaquaque ſiliqua numero ſex, primum viridia, laciniis albicantibus, deinde cum laciniis ruffeſcentia. *Succus* cum ſucco *limonis* naribus injectus ſpaſmo & epilepticis medetur. *Planta* cum fructubus *Sabac* contrita ac vivario injectum piſcibus anodynum eſt toxicum. Cum ſeminibus *Avanacu*, *Aſſa Fœtida*, & *Gingibere* in oleo *Sergelim* ceu *Tzit Elu*, & *Avanacu* ac *Orizæ* lotura, vel etiam cum *Mirabolanis* & *ſero* lactis, in unguenti formam redacta, dolores arthriticos lancinantes obtundit, pſoram, ſcabiemque tollit, per ſeptiduum uſurpata. Eadem cum *floribus*, *Cinamomo* & cortice *Cynoglоſſæ* pulveriſata, ac aqua *Oriſæ lactique* ebutyrato, *mellique* incocta, pro potu adhibetur in cachexia, lichene atque lepra.

TAB. 14.

Hujus plantæ exteriores ſi ſpectes notas, etiam inter Apocyna numerari debet, & quidem ſub hoc nomine. *Apocynum Indicum latifolium, flore rubeſcente, interius candido, ſiliquis oblongis, anguſtis, venis in longitudine ſtriatis.*



Cynanchum capense L.

WATTA-KAKA-CODI.

TABULA XV.

W*Atta-Kakacodi* planta eſt arboribus ſe vinciens ac arenoſis gaudens, *radicem* habet cujus cortex interior albicat, exterior flaveſcit, ſaporis peramari. *Caules* nodulis extuberantes primo virides ſunt, ac deinde cinerei. *Folia* bina ac bina ex nodulis erumpunt, quorum petioli mediocres, rotundi, viridi diluti, interius ſtriati, oblongo rotunda ſunt, ad petiolum quam maximè curvata, texturâ mollia, ſuperficie plana, glabra, lenia, viridi fuſca, ſaporis ſubamari. *Coſta* media plures laterales albicantes emittit. *Flores* umbellatim in petiolo communi viridi diluto proveniunt, ex caulium nodis ſupra originem foliorum erumpente, pedunculi quibus appendent, tenues ſunt, viridi diluti, ipſi flores pentapetali, viridi-diluti, anterius nonnihil contracti, nullius odoris: *Stella* in medio videtur quinque angularis, viridi diluta, plana, ex quinque ſtylis columnæ mediæ circumpoſitis conformata. *Calix* quinque parvis, viridibus, cuſpidatis conſtat foliolis. *Gemmæ* planæ, viridifuſcæ, foliis ſuperiori parte ſuper ſe convolutis & circa medium contractis. *Fructus* ſurculis ſeu petiolis appendent lacteis, ſuntque oblongo rotundi, verſus ſummitatem contracti, bini in inferiori parte ſibi invicem juncti, ſecundum longitudinem profundis lyris ſtriati, viridi flaveſcentes, in lyris flavo rore aſperſi, cortex craſſiuſculus eſt & lacteus; caro parum fungoſa, albicans; interior membrana cartilaginoſa, albicans, ſubflava. *Semina* in illis continentur valde plana, oblongo rotunda, ex viridi-flavo diluta, limbo flavo rufeſcente circumdata; ſcutiformiter arcte ſibi mutuo juncta, in anteriori parte oculum habent, qui *penicillum* emittit cujus filamenta argentea ſunt. *Radix* cum aqua *Orizæ* parti appoſita ictum colubri cobra cabella fruſtra facit: *Cortex*

radicis tritus ac cum aqua ſumtus dolori capitis inſervit, quo mulieres poſt partum ſunt obnoxiæ.

Tab. 15.

Colorem interni hujus plantæ ſucci, quamvis Author noſter non expreſſerit, extra dubium tamen *Apocynum* eſt, & quidem *Apocynum Malabaricum, folio cordis humani forma, flore viridi diluto, umbellatim diſpoſito, ſiliquis oblongis, latis, obtuſis. Quod ſi totus hic Hortus Malabaricus* in totum à principio mihi fuiſſet exhibitus; omnes *Apocyni* ſpecies ordine diſpoſuiſſem, cum jam per omnes ferme partes ſint diſperſæ. Verbi gratia *Pala, Curatu-Pala* & *Codago Palo*; quarum deſcriptio *Lib.* 1. *pag.* 81. 83. & 85. videri poteſt, quæ omnes ſpecies ſunt *Apocyni Arboreſcentis*; ut & *Ericu* & *Bel Ericu*, quæ ſunt *Beidel Oſſar* Alpini & Veſlingii *in obſervat. &c.*



Ceropegia Candelabrum. L.

NJOTA-NJODEM-VALLI.

TABULA XVI.

Njota-Njoden-Valli; Bramannicè, *Zira-Puti-Valli*, ſpecies eſt *Inota-Inodien*, planta ſinuoſis caulibus arboribus ſe vinciens; ſunt autem *cauliculi* illi tenues, rotundi, virides, ex parte rubeſcentes, geniculati. *Folia* in geniculis gemina proveniunt, oblongo anguſta, ad petiolum rotunda, anterius in cuſpidem contracta, textura denſa, ſolida, mollia, ſuperficie utraque plana, glabra. *Coſta* media in adverſa parte eminet. *Flores* plures congregati viſuntur in communi viridi petiolo, inſtar coronæ, collo oblongo rubro purpureo, fuſco & nitente, inferius ad calicem ventre inflato, veſiculato, albicante, venis rubro purpureo fuſcis in ventre & collo, ſecundum longitudinem ſtriati, pentapetali, ex flavo viridi diluti, cum oris exteriora verſus criſpati; cuſpidati; qui cuſpides oblongi, rubro-fuſco-purpurei ac piloſi, ſibi mutuo in vertice junguntur, inter folia eorumque cuſpides feneſtrati; interius pilis oblongis raris ſparſim obſiti, inodores. *Capitulum* in medio ventre habent flavum, quinque angulatum, ſtellæ inſtar expanſum, ex cujus vertice *Stylus* ſeſe erigit oblongus, flavus, theciformis, qui in quinque *ſtamina* reſolvitur. *Calix* quinque cuſpidata habet folia; veſiculato florum ventre ex compreſſione rupto, aër cum ſonitu eliditur. *Fructus* oblongo anguſtæ ſiliquæ; *ſemina* in iis continentur oblonga, in una ſerie diſpoſita, in vertice filamentis candidis argenteis penicillata. Hujus & *Kari-Bepu*, *Ela-Calli*, *Bala*, & *Mirabolani folia* trita in nodulo colligantur, qui in aqua *Orizæ* calefactus & affecto loco applicatus, ventris ex flatibus tumorem minuit, vel ſi cum foliorum *Tamarindorum* fibris & *Muringu* cortice in

muria excoquantur, linimentum contra articularem exhibent morbum.


Tab. 16.

Peregrina hæc planta conſpecies eſt *Apocyni* repentis, quoad formam florum mirabilis & ſine pari; bene tamen perſpecta, omnes *Apocyni* notæ Characteriſticæ, in ea reperiuntur: folia enim bina & bina ſe mutuo decuſſant; flos ſuperne in quinque tenuia dividitur foliola; tum ſequuntur ſiliquæ lanigeræ, quibus ſemina includuntur; & quamvis caules ſuccum fundant limpidum, non lacteum, & hoc quoque in quibuſdam *Apocyni* ſpeciebus reperiatur, planta hæc neutiquam ab illis ſeparari poteſt.

Parparam lat.

Mal.

Arab.



Asclepias tetrapetala.

PARPARAM.

TABULA XVII.

PLantula eſt naſcens in locis humidis & petroſis. *Caules* graciles, rotundi, geniculati, virides. *Folia* in geniculis, pedunculis brevibus, albicantibus, interius parum piloſis proveniunt, parva, oblongo-anguſta, cuſpidata, ad petiolum latiora, rotundo ambitu, texturâ craſſiuſcula, mollia, ſuperficie lenia, viroris in recta parte ſaturi; *Coſta* media albicat, in adverſa parte conſpicua, rectam ſtrians. *Flores* plures congregati prodeunt in petiolis, qui ad exortum foliorum emergunt, ſuntque parvi, tetrapetali, cuſpidati, coloris purpureo rubri, qui *calice* quatuor minutorum excipiuntur foliorum. *Capſulæ* ſeminales ſiliquoſæ, oblongo-rotundæ, anterius in cuſpidem ſtrictæ, duo latera convexa ſunt, quorum unum planius, cum cuſpide verſus latus convexius inflexæ. *Semina* quæ in iis continentur oblonga ſunt, tenuia, complanata, uno latere cavo, ita diſpoſita, ut interiora, inferiora ſcutellatim obtegant, in ora inferiore cuſpidibus crenata, anterius ſtrictiora, ac in illa parte, filis penicillatis, candidis, filamento medio communi, craſſiuſculo, carnoſo, albicanti annexa, primum albicantia, ex in rufeſcentia. *Foliorum ſuccus* cum ſucco *Limonis*, infantibus ventre dolentibus, aliisque ſpasmodica febre ægrotantibus exhibetur. *Oleo* mixtus atque ettrinſecè adhibitus, oculorum vitia corrigit, efficacius autem, ſi quando decoctum, ex eodem ſucco præparatum, aſſumatur.

TABULA 17.

Si *Parparam* hæc plenarie eſt deſcripta, vix inter *Apocyna* recenſeri poteſt. Flos enim tetrapetalus eſt, ſiliquæ vero cum illis *Apocyni* conveniunt; ſi flos eſſet pentapetalus, & caules vel album vel viridem funderet ſuccum, inter *Apocyna* numerari deberet. Aſt ex deſcriptione hoc non liquet.


Néli-táli lat.

നെല്ലിത്താളി Mal.

Nalabi

नलबी Bram.

نِهِلّْ كَالِيْ Arab



Aeschynomene indica L.

NELI-TALI.

TABULA XVIII.

NEli-Tali; lingua Bramannum *Nalabi*, naſcitur in udis & paludoſis, & paſſim inter Orizam, unde ei nomen. *Radix* fibroſa, densè capillata, carne fungoſa, denſa, molli, levi, candida, corculo pennæ haud diſſimilis, ac in teneris fibris corticula flava & pilis flaveſcentibus obducta. *Caules* rotundi, glabri, virides, intus carne in totum fungoſa albicante; teneriores ex una parte rubeſcunt. *Folia* petiolio medio rotundo viridi fuſco, qui ad exortum viridi diluto ventre extuberat, ac unico novello ſurculo paſſim comitatur, denſo ordine in duabus adverſis ſeriebus inſident, ſuntque valde parva, oblongo rotunda, exterius in medio vena ſtriata, viroris fuſci, hyalo ad unam oræ partem cum tenera ſunt rubeſcentia. Admiratione dignum eſt, quod ſi folia hæc paulo preſſius ſtringantur, ſtatim ſe ſcutiformiter ad ſe invicem in duabus adverſis ſeriebus claudant, ut & in ſurculis cum radice extractis ceu avulſis. *Flores* ad exortum petiolorum foliorum in pedunculis videntur tenuibus, papilionacei, parvi, flaviuſculi, tetrapetali; exterius foliolum maximè interius rubeſcit, circa oras flaveſcens; duo interiora flaviuſcula ſunt, quartum viridi albicans, in roſtro quo cum verſus folium latiuſculum inflexum eſt, rubeſcens, orificio ſuperne aperto, includens decem viridi albicantia *ſtaminula*, flavis nodulis datata; nullius odoris. *Calix* quatuor foliola habet viridia. *Siliquæ* oblongæ ſunt, planæ, paululum inflexæ, cortice primùm viridi, poſt rufo fuſco & ſcabro. *Semina* quæ per corticem extuberant, parvæ ſunt fabæ, oblongæ, ſaporis fabacei, in longitudine ſiliquarum in propriis loculis diſpoſitæ, ſuturis inter mediis, in cortice extuberantibus diſtincti; color ſpadiceo fuſcus eſt ac nitens.

Lavamentum ex hac planta conficitur antivulnerarium.

Tab. 18.

Nelitali planta eſt in totum conveniens cum *Ferro Equino Germanico*, *ſiliquis in ſummitate*, B. *Pin.* & pertinet inter *Herbas flore papilionaceo ſeu leguminoſo*, *ſiliquis articulatis*; ſed ex omni parte major eſt, atque ideo vocatur *Ferrum Equinum majus Malabarienſe*, *ſiliquis in ſummitate*.

Tóoda-váddi lat.

തൊട്ടവാടി mal.

[illegible] arab.

पुडुमाडु bram.



Oxalis sensitiva. L.

TODDA-VADDI.

TABULA XIX.

TOdda-Valli duæ ſunt ſpecies, una ejus nominis, altera *Niti-Todda-Valli*; prior à Bramannibus *Lacheri* vocatur; plantula eſt humilis udo & umbroſo gaudens ſolo ſemper florens. *Radix* albicans in annulares nodos ad unam partem contracta, de cætero fibroſa. *Caulis* inferiori parte ſupra terram repit, fibras hinc inde emittens; ſuperiori parte ſurrectus, rotundus, viridi-clarus, una parte in annulares ſtrias corrugatus; intus aquoſus & viridis, in nodulos extuberans. *Folia* breviſſimis pedunculis bina & bina ordinatim proveniunt, in cauliculis tenuibus viridibus, vel etiam in totum rubeſcentibus, ac tenuiter piloſis, qui novem, decem, plures paucioresve ex ſingulis caulis nodulis in orbem exeunt, verſus ſolum hinc inde obliquè ſe demittentes, ad exortum craſſo tubere pullulantes; ſuntque folia hæc parva, oblongo-anguſta, uniformis ferme latitudinis, anterius rotundiola, circa medium petiolum minora, ut & in ſummitate, in utraque parte viridi-ſurda. In medio *venula* eſt, apice eminens, quæ folium in duo inæqualia diſtinguit latera; ex attractu clauduntur. *Flores* in propriis ſurrectis petiolis foliaceis, octo, decem, plus, minus ex eodem caulis nodulo oriuntur, atque etiam inferius ad originem extuberant, pluresque congregati, ac in orbem pediculis albicantibus ceu viridi dilutis in orbem appendentes, conſpiciuntur, ſuntque campanulæ pentapetalæ, vel etiam tetrapetalæ; ipſa petala flava ſunt, in medio radio rubro in longum ſtriata; in collo nonnihil albicantia ac venulis rubris in longum ſtriata, ad fundum viridi-diluti ſunt coloris, nullius odoris; circa veſperam & tota nocte arctè clauduntur. *Stamina* habent decem plus minus brevia, tenuia, albicantia, quorum apices etiam albicant. *Calix*

parvus, piloſus, viridis, quinque anguſtorum & cuſpidatorum foliolum. In calice ſeſe exhibent *gemmæ ſeminales* oblongæ, piloſæ, quinque laterales, quarum ſingula latera coſtula viridi fuſciori ſtriantur, in duo loculamenta quæ ſingula unum continent ſemen, diſtinctæ. *Semina* illa parva ſunt, oblongo rotunda, unionum inſtar, primum candida, poſt rubra, tandem rubro fuſceſcentia & nitentia. Trita & vulneribus appoſita medetur illis, & cum butyro apoſtemata ſanat, cum oleo *Sirgelim* trita & epota gonorrhæam ſiſtit; *Radix* in decocta data calculos infringit.

Tab. 19.

Todda-Vaddi, noſtri Authoris, eſt *Herba Viva* Acoſtæ, qui *Cap.* 55. illam deſcripſit; a Zanonio *Hiſt. Botan. Cap.* 103. vocatur *Totta Vari*, ô *Forſi Mimoſa*, id eſt, *Herba Mimoſa* Malabarienſium, ab indigenis ſecundum illum vocatur *Totta-Vari* vel *Totta-Pari*, id eſt; tracta clauditur; & a Doctiſſ. Rayo *Hiſt. Plant. lib.* 8. *ſect.* 3. *cap.* 2. collocatur inter *Plantas æſchinomenas, foliis pinnatis, non ramoſis, floribus papilionaceis vel pentapetalis*: ſi quis plura vel etiam vires deſiderat, videat prædictum Zanonium, vel etiam Cluſii *Exotica Fol.* 290. A Bauhino *in Pinace* vocatur *Herba Mimoſa, foliis fænugræci ſilveſtris.*



Desmanthus natans. W.

NITI-TODDA-VADDI.

TABULA XX.

ALtera ſpecies linguâ Bramannum vocatur *Lauri*; naſcitur in aquis dulcibus, cum caulibus aquæ innatans, ſemper florens, maximè tempore pluvioſo. *Radices* ex caulibus ordinatim hinc inde prodeunt, maxima parte prope inflexuras, ſuntque condenſæ ac breves faſciæ ex tenuibus fibris condenſatis ac ſibi mutuo implexis conſtantes, coloris perſici. *Caules* aquis innatantes rotundi, duriuſculi, viridi-clari, aſt Soli expoſiti purpuraſcentes, fungoſi intus & albicantes, fiſtuloſi, ad corticem lignoſiores, angulis in contrarias partes alternatim inflexi, proxime circa inflexuras fungoſa, ſpongioſa, humida, albicante tunica circumveſtiti. *Folia* bina ac bina in petiolis mediis ac ad exortum extuberantibus & rubeſcentibus proveniunt; formâ anguſto oblonga, non tam lata quam illa *Todda-Vaddi*, in ſummitate rotundiola, latitudine uniformia, mollia, tenuia, plana & valde lenia, coloris hyali, in adverſa parte *venulam* habent ſubtilem ad ſui exortum nonnihil eminentem, folium in duo inæqualia dividens latera; folia hæc non in eodem plano, ut illa primæ ſpeciei, ſed diverſis planis ſibi mutuo paralellis, petiolum medium oblique ſecantibus, & verſus ſummitatem nonnihil inflexis jacent, tali modo ſita ut aperta cum exteriori ſuperficie aquæ obverſa ſint; ex attactu clauduntur, ut & veſpera ac de nocte, *Flores* ſpicatim ac condenſe in orbem proveniunt in ſummitate propriorum petiolorum, qui rigidi, rotundi, nonnihil inflexi, coloris perſici diluti, & ex inflexuris caulis vel ſolitarii, vel cum caulibus, prodeunt; ſuntque inferiores plurium foliorum valde oblongo-anguſtorum & criſpatorum, coloris in totum flavi, in *calice* nulla *ſtamina* vel ſiliquoſum germen edentes;

tes; ſuperiores pentapetali, virides, cuſpidati, hi decem habent *ſtamina* longiuſcula, albicantia, cum ſuis flavis, ſtriatis & obliquè ſurrectis *apicibus*; inter illa unicum longè eminet *filamentum*, ex ſiliquoſo viridi germine in umbilico floris oriens. *Siliquæ* parvæ, planæ, compreſſæ & nonnihil falcatæ, in ſummitate ſurculorum, ſex, ſeptem, plus minus conſpiciuntur, ad cauliculum transverſim ſitæ, primum virides, dein coloris hepatici rubri, tandem fuſceſcentes. *Semina* quæ in iis octo, novem vel pauciora pro magnitudine ſiliquæ continentur, oblongo-rotunda, plana, contracta, oblique in latitudine ſiliquarum proxime ad ſe mutuo nullis interſepimentis ſejuncta, coloris ſpadicei-fuſci-nitentis, ad oras fuſciora & magis nitentia. In decocto data ſtomachum corroborat, in febribus urinam provocat & arthriticum ſedat dolorem; trita cum *butyro* apoſtemata digerit.

TAB. 20.

Perſpectis omnibus hujus plantæ partibus, præſertim quoad ſemina & ſiliquas, nullibi convenientius potui referre quam ad *Æſchinomenen, mit. ſecund.* vel potius *Herbam caſtam Zeylanicam, ſiliquis latis, compreſſis, minoribus.* Breyni *Centuri* 1. *fol.* 47. vide etiam Rayum *Hiſt. Plant. lib.* 18. *ſect.* 2. *cap.* 3.

Malam-Todda-vaddi lat.



Aeschynomene pumila. L.

MALAM-TODDA-VADDI.

TABULA XXI.

PLantula eſt naſcens in petroſis, cauliculis ſuper terram expanſis. *Radix* ruffa eſt, fibroſa, oblonga, recte ſe in terram demittens. *Caules* tenues, rotundi, lignoſi, ſuperno latere ubi terræ expoſiti, rubeſcentes, inferiori virides. *Folia* in petiolis communibus, brevibus, ad exortum nonnihil extuberantibus, ac parvo anguſto, viridi, cuſpidato foliolo ſuccinctis, in duabus ſeriebus, in ſingulis octo, novem, plus minus ac geminata proveniunt, parva, oblongo anguſta, tenuiſſima, viroris ex una parte vividi, altera ſurdi; *Coſtulam* habent anterius eminentem, obliquo tractu folium dividentem; tacta ſe claudunt, aſt non tam ſubito quam illa *Tadda-Vaddi*; atque tum eo jacent ordine, ut ſibi mutuo cum interioribus accumbant lateribus. Gentis ſuperſtitio plantæ huic occultas tribuit vires, nempe, (ſi credere fas ſit) ad amiſſam virginitatem reſtituendam, & mulierum amorem conciliandam, ſi ſanguiſuga intentæ virginis pedi ſiniſtro ad ſaturitatem applicata, fruſtulatimque diſſciſſa & cum planta hac trita exhibeatur, vel etiam petitæ fœminæ eadem miſcella confricetur manu. Virenti *Curcuma Camphoraque* commixta impetigini medetur.

TAB. 21.

Cum Author noſter hujus *Malam-Toddi-Vaddi* nec flores addiderit, neque ſiliquas, neque ſemina, nihil certi de illa dici potuit. Aſt quoniam minime ſpinoſa ſit, neceſſario adnumeratur *Æſchynomene miti*; & meo judicio, non male conveniret cum *Mimoſa di Jamaica* Zanoni, nempe cum prima ipſius Figura. De ea vide illius Hiſtoriam *Cap.* 77.

Man-Tódda-váddi lat.



Aeschynomene sensitiva. Sw.?


MAN-TODDA-VADDI.

TABULA XXII.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* parum lignoſi, rotundi, virides, in ſurculos divaricati. *Folia* in duabus ſeriebus geminata petiolis inſident, obliquè verſus anteriora converſa, oblongo-rotunda, anguſta, ad exortum paulo ſtrictiora, tenuia, lenia, in oris breviſſimis ac tenuibus pilis obſita, *coſtula* in adverſa parte, quæ brevi cuſpide anterius eminet, piloſa ſtriata, viroris utrimque diluti; ex attactu confertim ſe claudunt & quidem ſurſum verſus, aliter ac illa *Todda-Vaddi*, cujus latera interiora, deorſum verſus ſe claudunt; clauſa ſcutellatim ſibi mutuo accumbunt. *Flores* in propriis ſurculis proveniunt, quorum pediculi breves, tripetali ſunt, coloris pallido flavi, ſubtiliſſimis venulis ſtriati. *Stylus* in medio ruber. *Calix* cyathi formis ac viridi fuſcus. *Siliquæ* oblongo anguſtæ ſunt ac compreſſæ, in cuſpidem deſinentes, maturæ coloris rubro fuſci, parvis, rotundis granis ceu *ſeminibus* confertæ, quæ primum viridi rubeſcunt, poſtea albicant. Balneum ex hac planta præparatum, lepræ ac pruriginoſo acrique ardori medetur; cum oleo *Tzit-Elu* ceu *Sergelim* ex eadem linimentum conficitur antiſpaſmodicum. Succus cum *Sandalo* tritus frontale eſt adverſus cæphalalgiam calidam.


TAB. 22.

Hæc *Herbæ vivæ* ſpecies, à nemine, quod ſciam, unquam deſcripta eſt. Parva quidem conſpecies videtur *Mimoſæ non ſpinoſæ majoris Zeylanicæ* Breynii; & cum nullas habeat ſpinas & flores papilionaceos ac ſiliquas articulatas, ideo optimo jure vocari poteſt: *Mimoſa Malabarica, foliis piloſis, non ſpinoſa, minor, flore papilionaceo luteo, ſiliquis anguſtis, articulatis.*





Cleome viscosa L.



ARIA-VEELA.


TABULA XXIII.

ARia-Veela; vel ſecundum Bramannes *Tiloni*, planta eſt altitudine quatuor pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa & capillata. *Caules* eorumque *ſurculi* virides hinc inde parum rubeſcentes, ſtriati & capillati. *Folia* in petiolis terna, quaterna, quina congregatim proveniunt, parva, oblongo rotunda, anterius cuſpidata, tenuia, mollia, ſuperficie plana, brevibus pilis obſita, ſaporis ſubacris, odoris fortis & gravis. *Coſtam* habent in medio plures laterales emittens. *Flores* qui ex origine foliorum, in viridibus, tenuibus piloſisque petiolis, & ex ſummitate ſurculorum plures proveniunt, parvi ſunt, tetrapetali, rotundi, parum oblongi, tenues, flavi ſeu lutei, ſinguli venula ſtriati. *Stamina* in illis videntur plura, tenuia, viridi-flava, ſurrecta; *apices* in vertice habent nigros, *Stylum* craſſiuſculum. *Siliquæ* viridi fuſcæ ſunt, quatuor pollices, & quod ſuper eſt longæ, rectæ, oblongo anguſtæ, parum compreſſæ, in lateribus ſtriatæ. *Semina* quæ denſa ſerie in ſiliquis inveniuntur, ſuturis adhærent, ſuntque rotundo plana, primum viridia, dein flaveſcentia ac rufeſcentia, tandem nigricantia, *oculum* habent in medio, ex quo tanquam centro, in rectum ſtriantur; probè exſiccata fuſca ſunt, ſtriis tum minus conſpicuis. *Succus* naribus aſſumitur ne venenum in corpore latens caput inficiat. Ad idem conducit tota *planta* aquæ incocta & epota; *folia* appetitum promovent, expectorantia ſunt & confortantia; phlegmata & flatus diſſipant; trita cum radice & in globulos formata, ſub axillis in principio paroxyſmi febrilis applicantur, & tum frigus & minuunt & tollunt. Foliorum *ſuccus* cum oleo frixus & auribus immiſſus ſurditati opitulatur; eadem folia trita & capiti appoſita, dolorem ex frigore ortum ſedant.

TAB. 23.

Inter Herbas flore tetrapetalo ſiliquoſas numerari debet.

Cára-veêla lat.
കാരവെള Mal.
[illegible] arab.
[illegible] bram.



Cleome pentaphylla. L.

CARA-VEELA.

TABULA XXIV.

CAara-Veela; vel uti Bramannes dicunt *Veela* & ut *Tiloni*, planta eſt fortis & gravis admodum odoris, naſcens in arenoſis. *Radix* ut illa *Aria-Veeli*. *Caules* ſurculique viridi clari, dein ad unam partem rubeſcentes, rotundi, non ſtriati, magisque capillati. *Folia* quina ſimul proveniunt in petiolis viridi-albicantibus, capillatis, quorum pediculi breves, ſtriati, cæteris quidem majora, aſt in reliquo quam maxime convenientia. *Flores* in ſuperiori parte ſurculorum proveniunt, paulo majores, candidi, tetrapetali, oblongi, corrugati, nullis venulis ſtriati. *Calix* quatuor foliorum, ex cujus petioli nodulo *ſtylus* ſeſe erigit nitens, ſuperiori parte nodoſus, ubi quinque eminent *ſtamina* longiuſcula, rubeſcentia, *apicibus* flavis, ſurrectis, ſtriatis dotata. *Siliquæ* longiores & viridi-clariores, non ſtriatæ, ſed aſperæ & ſcabræ, pilisque minutis obſitæ. *Semina* plane eadem, ſed majora. Integra hæc *planta* contrita cum ſucco de *Raca-Palam*, facta perunctione puſtulas amovet; in *oleo* decocta, cutaneis medetur morbis, præſertim lepræ; Vide quæ de viribus *Aria-Veela* diximus, cum qua omni ex parte conveniunt.

TAB. 24.

Planta hæc, meo judicio nulli commodius ad jungi poteſt, niſi *Pentaphyllo ſiliquoſo*, & inter conſpecies *Tareriaya Braſilienſium. Margg*, atque ideo recte vocatur *Pentaphyllum ſiliquoſum Malabarienſe.*

Tandalé-cotti lat.

തന്തലക്കൊട്ടി *Mal.*

[illegible] *Arab.*

गगती *bram.*



Crotalaria retusa. L.

TANDALE-COTTI.

TABULA XXV.

QUinque hujus plantæ ſunt ſpecies, quatuor ejuſdem nominis; quinta *Peê-Tandalecotti.* Præſens hæc à Bramannibus vocatur *Schama-Puſpi*, naſcens in arenoſis & udis. *Radix* fibroſa, albicans, intus lignoſa. *Stipites* qui plures ex radice exeunt, ut & rami virides, teneriores, angulati. *Folia* in ramis oriuntur, oblongo-rotunda, linguiformia, tenuia, texturæ ſubtilis, lenia, coloris ex flavo viridi diluti. *Coſta* media in adverſa parte eminet. *Flores* ſpicatim videntur, aureo flavi, papilionacei, tetrapetali, odoris nullius. *Stylus* viridi dilutus, craſſus, in decem viridi diluta dividitur *ſtaminula*, quorum quinque, qui ſupra cætera emicant, *apices* gerunt flavos ſeu croceos; reliquorum apices flavi ſunt & quaſi noduli. *Calix* quatuor acuminata habet folia. *Gemmæ* florum virides, oblongo-rotundæ, unguli-formes. *Siliquæ* parvæ ſunt, rectæ, oblongo rotundæ, glabræ, circa ventrem ſutura verſus inferiora contractæ, *calice* excipiuntur cavo, in quinque acumina foliola diviſo. *Fabæ* parvæ magnam ſiliquarum partem vacuam relinquunt, umbilicis binæ & binæ ſuturæ ventris adhærentes, ſuntque planæ, reniformes, primum virides, dein ſubrufæ ceu ex flavo ſubfuſcæ, & inſtar *Veluti* nitentes. Ex decocto lavamentum præparatur, pro febribus, tertianis præcipue chronicis. *Radix* in decocto data pituitam evocat, flatus diſcutit. Trita cum *vino* præſtantiſſimum eſt anticolicum. *Foliorum* ſuccus epotus febres ſymptomaticas ex colico dolore aufert, per vomitum nempe; hepar & ſanguinem purificat.

TAB. 25.

Omnes hæ quinque ſuccedentes plantæ pertinent inter *Herbas flore papilionaceo ſiliquoſas*. Doctiſſimus D°. Hermans vocat illas in ſuo *Catalogo Crotolaria*, quia Indorum infantibus in ludo pro crotala inſerviunt; Cingalenſes dicunt *Kiligilippe* id eſt, Crotalum; Vide prædictum *Catal. pag.* 196. ſed ut debitus inter plantas, illis aſſignetur locus, inter *legumina non ſcandentia*, ſiliquis bullatis, *ſemine reniformi* collocari debent. Verum quia apud nullos Auctores hucuſque occurrere, ut nova ſpecies inſerendæ ſunt. Hæc igitur noſtra *Tandale Cotti*, non male convenire videtur, vel forte eadem eſt, quam D.D. Hermans *in Catal. Hort. Acad. Lugd. Bat.* nominat, *Crotalaria Aſiatica, folio ſingulari cordiformi, floribus luteis*. Mea ſententia eſt, hanc & reliquas pro *Geniſtæ* generibus habendas eſſe, atque adeo à me vocatur *Geniſta Malabarica, folio ſingulari, floribus luteis, ſiliquis bullatis.*

Pars 9 Tab. 26

Katoú-Tandalé-cotti lat.

mal.

arab.

bram.



Crotalaria juncea. L.

TANDALE-COTTI, No. 2.

TABULA XXVI.

SEcunda ſpecies a Bramannibus *Dacoli Gageri* nominatur. Cum priori in omnibus pene convenit, præterquam quod *folia* longiora ſint, in recta parte coloris viridi fuſcioris, in adverſo hyali. *Coſta* media altius emineat. *Flores*, *ſiliquæ*, *fabæ*, *vires*, plane idem & eædem.

Tab. 26.

Katou-Tandale-Cotti, vel *Tandale Cotti* ſylveſtris, apud neminem mentio facta, folia etiam habet ſingula, quæ, ſi *Crotalariæ* nomen placeret, vocari poſſet, *Crotalaria Malabarica ſylveſtris, foliis ſingularibus, majoribus, floribus luteis.* Melius autem *Geniſta Malabarica, folio ſingulari oblongo, flore flavo-dilutiore, ſiliquis bullatis.*

Nella-Tandalé-cotti lat.

Mal.

arab.

bram.



Crotalaria laburnifolia. L.

NELLIA-TANDALE-COTTI.

TABULA XXVII.

TErtia ſpecies; lingua Bramannum *Gageri* dicta; altius aſſurgit, ad altitudinem ferme hominis; naſcens in arenoſis & udis. *Radix* ut præcedentes. *Stipites* ac *rami* virides, angulati, ligniosiores cæteris. *Folia* numero terna in uno petiolo, rotundiola ſunt, reliquis ſpeciebus breviora, coloris in recta parte viridi-ſubflaveſcentis; adverſa hyali. *Flores* iidem, niſi quod illorum ungula paulo major ſit. *Siliquæ* cum illis primæ ſpeciei conveniunt, ut & *Seminæ* & vires.

TAB. 27.

Conſpecies hæc videtur *Crotolariæ Aſiaticæ fruteſcentis trifolioſæ, floribus luteis Amplis: Hermann: Catal*; differentia tamen in foliis eſt, quæ cum illis Hermanni non conveniunt, Author enim noſter illa multo latiora & rotundiora delineavit, flores alioquin & ſiliquæ non multum differunt; ego illam dicerem *Geniſta trifolia Malabarica, floribus luteis amplis, ſiliquis bullatis.*



Crotalaria quinquefolia L.

WELLIA-TANDALE-COTTI.

TABULA XXVIII.

Quarta ſpecies à Bramannibus vocatur *Gagaro*, altitudine ferme trium pedum. *Radix* & *ſtipites* conveniunt. *Folia* numero quina, oblongo-anguſtiora ſunt, anterius rotunda & ad petiolum contracta, coloris in recta parte viridis, in adverſa hyali. *Flores* iidem; ſiliquæ longiores, brevi pedunculo calici inſidentes, latiores, ventre extuberantes, quo velut anguſtæ ſunt veſicæ, multo aëre repletæ. *Fabæ*, *vires* ut ſupra.

TAB. 28.

Nemo hujus ſpeciei quinque foliorum huc uſque mentionem fecit; vocari idcirco poſſet *Geniſta Malabarica pentaphylloïdes, flore amplo aureo flaveſcente, ſiliquis bullatis.*

Pee-tandalé-cotti lat.

Mal.

arab.

bram.



Crotalaria verrucosa L.

PEE-TANDALE-COTTI.

TABULA XXIX.

QUinta ſpecies apud Bramannes *Butta-Gageri* audit; *radix*, *ſtipes* à prioribus non differunt. *Folia* latiora ſunt, oblongo-rotunda, maxima latitudine in medio, in oris criſpa, texturâ craſſa, tenuiſſime piloſa & ſubinde lanugine albicante obducta. *Flores* purpureo-cæruleo-diluti & albicantes, vetuſtiores magis colorati; latiſſimum folium ex cæruleo maxime albeſcit, & ſubinde in dorſo nonnihil piloſum eſt: duo ſurrecta coloris ſunt purpureo-cæruleo ſaturi; ungula viridi albicans, ac in cuſpide cum roſtro nonnihil cæruleſcens; apices *ſtyli* oblongi, flavi, crocei. *Calix* exterius nonnihil piloſus. *Siliquæ* ut illæ primæ ſpeciei, ſed pilis decumbentibus tenuiter obductæ; *Seminæ* eædem; ut & *vires*, præter quod hujus *radix* trita & oculis appoſita, memoriam reducat & corrigat: ſuccus foliorum Mercurii fluorem diminuat.

TAB. 29.

Crotalaria hæc ſpecies eſt *Aſiatica, folio ſingulari verrucoſo, floribus cæruleis*; *Herm. Catal. Hort. Acad. Lugd. Batav.*; *ſecundum me, Geniſta Indica, Alni folio, floribus cæruleis, ſiliquis bullatis.*



Indigofera hirsuta L.

KATTU-TAGERA.

TABULA XXX.

PLanta eſt altitudine duum triumve pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa. *Surculi* lignoſi, rubeſcentes, pilis longiuſculis rubeſcentibus obducti, teneriores ex una parte virides, ex altera ſanguineo-rubeſcentes, vetuſtiores cortice ruffo-ſubrubeſcente; corculum interius album eſt. *Folia* in communi brevi piloſo petiolo trina & quina proveniunt, oblongo rotunda, utrinque pilis albicantibus denſe veſtita, tenuia, mollia, ſuperficie lenia, formâ ut *Tagera*, ſed paulo majora, ſaporis adſtringentis & ſubacris, cum *coſta* in adverſa parte eminente, & rectam ſtriante. *Flores* plures congregati, ordinata ſerie in cacumine ſurculorum, & hinc inde alternatim viſuntur, parvi, papilionacei, coloris roſaceo-ſaturrimi. *Stylus* qui folio ungulato accumbit, theciformis, viridi dilutus, ſupernè in brevia filamenta, apicibus flaviuſculis nodulata, fiſſus. *Calix* folia habet viridia anguſtiſſima, ſex numero, pilis veſtita. *Siliquæ* breves ſunt, brevibus pedunculis ſeriatim appendentes, rotundiolæ, valde piloſæ, ad appoſitas partes duabus ſuturis viridi-fuſcis in longum interſtinctæ, inter ſuturas parum extuberantes, illarum cortex primo viridis, dein ex ruffo-ſubrubeſcens. *Seminæ* quæ in iis continentur parvæ, ad maturitatem provectæ, longæ, in longitudine ſiliquarum ſitæ, interſepimentis a ſe mutuo interſtinctæ, albicantes & ſubflaveſcentes. Ex hac planta decoctum conficitur antiphrenitidum.

TAB. 30.


Specierum *Tageræ*, mentio facta eſt *Part. ſecund. hujus operis*, *pag.* 102. ubi etiam noſtra hæc memoratur. Quamvis autem omnes plantæ ſint ſiliquoſæ, cum hac tamen nulla intercedit convenientia, conſpecies quippe *Aſtralagi* eſt; quid jam nomen *Tagera* propriè ſignificet, non novi, hoc quidem, quod *Katu-Tagera* tantundem dicat, quam *Tagera ſilveſtris*. Plantam hanc in Herbario meo vivo Ceylanico poſtea inveni, à D.D. Hermans vocata, *Aſtralagus Indicus ſpicatus*, *ſiliquis copioſis deorſum ſpectantibus*, *non falcatis*; *ſeu* Polylobos, à Zingalenſibus *Pilæghas*.

Pars 9 Tab. 31

Kondám – pullú lat.

കൊണ്ടം. പുല്ലു mal.

قُانْطحا بُولَغْ arab.



Impatiens oppositifolia L.

KONDAM-PALLU.

TABULA XXXI.

PLanta humilis, arenoſa amans; *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* quadrilateri, viridiclari, aquei, geniculati; filamentum medium carnoſum eſt, viride ac in tubulos diſtinctum. *Folia* geniculis geminata, & ordine decuſſato inſident, oblongo-anguſta, angulis breviſſimis raris ſparſim crenata, rigida, craſſa, glabra, viridi-clara, adverſa parte in medio altè extuberantia. *Flores* ad exortum foliorum in petiolis proveniunt brevibus, cæruleo purpurei, bipetali, uno ad ventrem colli, in tria foliola rotunda inſecti, ad medium uſque ſtriis albicantibus notato, altero ſurrecto, cuſpidato, verſus primum reflexo. In medio unicum habent *ſtamen* candidum, ſuperne rubro-purpureum. *Calix* folia habet quinque viridia, cuſpidata. *Capſulæ ſeminales* oblongo-rotundæ, in quibus ſemina arenacea, ut illa piſcium, denſo, confertoque numero, conſident.


Nir-múrri lav.

Mal.

Sanití

सटईती bram.

نير مرّي Arab.



Indigofera. simplicifolia

NIR-MURRI.

TABULA XXXII.

TEtricis & aquoſis gaudet, altitudine duum pedum & amplius. *Rami* parum lignoſi, virides. *Folia* quæ pedunculis brevibus proveniunt, oblonga, tenuia, viridi-clara. *Flores* papilionacei, rubeſcentes, in medio ex rubra ad cæruleum vergentes, odoris nullius. *Siliquæ* parvæ, oblongæ, rectæ, anguſtæ, compreſſæ, ſiccæ rubeſcentes; *Seminæ* longæ, quadratæ albicantes. *Planta* hæc excepta radice, in olla bene obturata aquæ incoquitur, cujus vapor tumorem illum cacochymicum, quem endemius ille morbus, *Pitao*, dictus inducit, diſſipat.

TAB. 32.

Nir-Murri, ſecundum Bramannes *Saniti*, pertinet inter *Herbas flore papilionaceo* ſeu *leguminoſo*; *Loteri* ſpecies eſt.



Vinca parviflora. Ait

CUPA-VELA.

TABULA XXXIII.

Quæ planta Malabaribus *Cupa-Vela*; Bramannibus *Rani-quela* dicitur, altitudine eſt duorum triumve pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa. *Rami* quadrangulati, viridi-diluti, geniculati. *Folia* in geniculis geminata & ordine decuſſato, pedunculis proveniunt brevibus, oblongo-anguſta, in cuſpidem ſtricta, viroris communis. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminent, rectam ſtriant. *Flores* in ſurculis ad exortum foliorum, duo tresve congregati ſpectantur, parvi, pentapetali, albi, rotundi, ſtelliformiter expanſi, cuſpidibus minutiſſimis eminentes; collo oblongo, craſſiolo, viridi albicante, ex *calice* arcto, viridi-diluto, quinque foliis cuſpidatis exſtructo emergentes. Illis deciduis *ſiliquæ* ſuccedunt oblongæ, tenues, rotundæ, in cuſpidem ſtrictæ, leviter intortæ, primo virides, dein purpureo-fuſcè-rubræ, tandem cinereſcentes. *Semina* in iis continentur oblonga, ſulculis ſtriata, lacunam habent unicam oblongam, profundam, atram. *Folia* indigenæ adhibent in concoctione *Caril.*

Tsjéru-véla lat.

ചെറുവെള Mal

جِيهرُو بِجهِلا Arab



Cleome monophylla. L.

TSJERU-VELA.

TABULA XXXIV.

ARenoſa amat. *Radix* albicans, fibroſa, filamentum in medio habens albicans & lignoſum. *Caules* virides piloſi, intus parum lignoſi. *Folia* in petiolis piloſis, viridibus provenientia, oblongo-anguſta, in cuſpidem interius ſtricta, piloſa. *Coſta* media cum reliquis in adverſa parte eminet, rectam ſtriantes. *Flores* ſupra exortum foliorum videntur, tetrapetali, oblongo-rotundi, anguſti, rubro-diluti, ſub purpurei. *Stamina* in iis quinque oblonga, albicantia, quorum apices oblongi, viridi-cærulei; cum illis ſeſe prodit ſiliquoſum germen, piloſum, viride, cujus cuſpis rubeſcens verſus eandem partem cum ſtaminibus incurvatur. *Calyx* ex quatuor conſtat oblongo-anguſtis, cuſpidatis, rubeſcentibus foliis. *Siliquæ* oblongo anguſtæ, rotundæ, in cuſpidem deſinentes, piloſæ, lacunulis ſtriatæ, virides, ut illæ *Cupæ-Velæ*. Nervorum vulnera ac puncturas ſanat hæc planta, excepta radice, cum aqua *Orizæ* trita.

TAB. 33. 34.

Utraque hæc planta, quamvis quoad formam foliorum differant, hoc tamen commune habent, quod flores & ſiliquæ ex ortu foliorum proveniant, & cum flos ſecundum delineationem pentapetalus ſit, & ex deſcriptione non ſatis conſtet; utrum in totum decidat nec ne, planta hæc anomala eſt.

Vállia-capó-mólago lat.

വള്ളികപമുളക mal.

Póita-cali-medi

पुतकालीमीर्च bram.

وعليا قحايا رعلاغحا arab.



Capsicum annuum. L.

VALLIA-CAPO-MOLAGO.

TABULA XXXV.

SEcunda hæc ſpecies cum priori, in ſecunda parte deſcripta, convenit; eſt & tertia ſpecies, in eo tantum differens, quod fructus digitum ferme oblongi, ac multò craſſiores evadant. Vide ejus deſcriptionem *part.* 2. *Tab.* 56. *pag.* 109. Furibundi canis virus enervatur, ubi læſa pars, trito hujus plantæ *fructu*, vel etiam *radice* illinatur.

TAB. 35.

Inter ſpecies *Capſici* variæ fructuum formæ ſunt, uti videre eſt apud Cluſium *Hiſt. Plant. exoticar. Fol.* 340. & in *Cur. poſter. Fol.* 51; ut & apud Hernandum *Hiſt. Plant. Mexic. lib.* 5. *cap.* 3. atque inter illas hæc etiam *Vallia-Capo-Molago* comprehenditur.

Nir-pulari lat.

നീർപുലാരി mal.

نير بولاري Arab.



Indigofera hedysaroides. L.

NIR-PULLARI.

TABULA XXXVI.

PLantula eſt arenoſis gaudens. *Caules* tenues, virides, capillati, ſuperne rubeſcentes. *Foliorum* petioli rubeſcunt, ad exortum duobus minutis, cuſpidatis foliolis ſuccincti; folia ipſa oblongo-rotunda, tenuia, lenia, viroris in recta parte viridis, adverſa hyali, ubi *coſta* media eminet. *Flores* plures congregati ſupra exortum foliorum viſuntur in tenuiſſimis pedunculis, papilionacei, tetrapetali, coloris roſaceo-ſaturi-purpurei. *Stylus* ungulatus, oblongiuſculus, craſſiolus, candidus, ſuperne in tenua filamenta fiſſus, quæ apicibus flavis nodulata ſunt, odoris nullius. Integra hæc *planta* cum *ſero* lactis, vel quoque per ſe in balneum præparatur, antidotale contra morſum ſerpentis Pólega: trita & cum *oleo Nucis Indicæ* fortiter frixa, in colica ac dyſuria cum ſucceſſu aſſumitur; mingendi difficultatem tollunt *folia* ex *Aqua Lanjæ* cum *Calamo Aromatico* exhibita. *Succus* cum *jure Gallinaceo* epotus lithonthripticus eſt.

TAB. 36.

Quæ hic deſcribitur *Nir-Pullari*, pertinet inter legumina trifoliata; aſt cum de vera *ſiliquarum* forma nulla fiat mentio, vix certi quid de illa judicari poteſt.


Mánneli *lat.*

മന്നേലി *Mal.*

tippoli

मीडीपल *bram.*

معنالي *Arab.*



Aspalathus indica. L.

MANNELI.

TABULA XXXVII.

NAſcitur in arenoſis. *Rami* duri, virides, ex parte rubeſcentes. *Folia* plura congregata proveniunt, quaterna, ſena, plus minus, parva, oblongo-anguſta, tenuia, viridi-fuſca. *Flores* papilionacei, pulchrè rubeſcentes, odoris nullius. *Siliquæ* valde parvæ, oblongo-anguſtæ, *fabulas* in ſe continent virides, quæ poſtea rubeſcunt. *Folia* ab indigenis adhibentur in concoctione *Caril*. Ex integra hac *planta* cum *lacte ebutyrato* lavamentum conficitur, femorum reſolvens tumores, phlegmonodes, œdematodes. In *orizæ* lotura apoſema præparatur ventris inflationem auferens altumque emolliens. Ex *cineribus* lixivium elicitur, quo cum ſordes capitis expurgantur. *Folia* trita abſceſſus reſolvunt vel aperiunt. Ex *radice* oleum extrahitur, quo caput in eryſipelate perungitur.

Tsjovánna – manneli lat.

ചുവന്നമന്നെലി mal.

Damapána

दामापन bram.

چیوانا مانکلی arab.



Smithia sensitiva. Ait. ?

TSJOVANNI-MANNELI.

TABULA XXXVIII.

PLanta humilis eſt, ſurculis numeroſis, in latum diffuſa, aquoſa amans. *Radix* albicans, fibroſa. *Surculi* tenues, ex omni parte rubro-perſici, rigidiuſculi. *Folia* in ſingulis petiolis geminata proveniunt, duobus tribusve paribus; parva, & ubi veteraſcit planta, in minorem formam contracta, oblongo-rotunda, coloris ſurdi, ex attactu clauduntur, ut & de nocte. *Coſta* in adverſa parte eminet, ubi folia, maxime in coſta & oris, pilis albicantibus & nitentibus obſita ſunt. *Flores* qui tres quatuorve ſimul ad exortum petiolorum foliaceorum prodeunt, papilionacei ſunt, flavi, inodores, tetrapetali. *Stylus*, candicans, theci-formis, ſupernè in filamenta, croceis apicibus dotata, fiſſus, quorum una ſupra apices emicat. *Calyx* quatuor conſtat foliis. *Capſulæ ſeminales* oblongæ, rotundiolæ, breviuſculæ, tria, quatuorve includentes *ſemina*, rotundiola, nonnihil plana; primum viridia, dein fuſceſcentia, poſt nigra ac nitentia; ſeriatim filamento viridi, quod in flore emicat, ac ſe extra capſulam criſpatim exſerit, intra capſulam annexa & adhærentia. Unguentum ex tritis hujus *foliis* & *recenti butyro*, ſecundum artem præparatum abſceſſus tollit phlegmonodes, quos ſi concomitentur febres, decoctum præſcribitur, ex hujus *radice*, *Gingibere* & *Pipere*.

Tsjéru-manneli lat.

ചെറുമണെലി Mal.

jatá

जटा bram.

جحيرو منلي Arab.





Heymia rigida.

TSJERU-MANNELI.

TABULA XXXIX.

NAſcitur hæc plantula in aquoſis, cauliculis ramoſis ſuper terram decumbentibus repens, ac hinc inde radiculis ſe affigens. *Radix* albicat, aquea, fibroſa, capillata eſt. *Caules* virides, aquei, geniculis interſtincti, in geniculis foliis paribus, quæ paſſim novellis cauliculorum partibus ſtipantur, veſtiti. *Folia* valde parva, cuſpidata, craſſa, rigida, ſpiculis candidis nitentibus, longiuſculis, ob quæ & aſpera ſunt, munita. *Flores* in caulibus ſupra exortum foliorum,ex calicibus oblongis, arctis, collulo candido emicant, pentapetali, cuſpidati, ſtelliformes, in totum candidiſſimi. *Stamina* quinque parva, nodulis flaviuſculis dotata, in medio *ſtylus* ſeſe erigit. *Calix* quinque oblongorum eſt cuſpidum, ſpinis candidis, ſpiculatis, aſperis munitus. *Globuli* ſeminales oblongi, virides, parvis arenaceis *ſeminibus* repleti; primo viridibus,dein flaveſcentibus, tandem nigricantibus. Integra *planta* excepta radice, pulveriſata & in *ſero lactis* cum *ærugine* contrita, pedum clavos eradicat: idem pulvis cum modico *Piperis* & *Glycirrhiſæ ſucco* ex aqua calida propinatur, vel cum recenti butyro exhibetur tuſſi (Luſitanis Coçeira de Garganta) laborantibus.


TAB. 39.

Tres quæ hic, ſub cognomine *Manneli*, deſcribuntur plantæ, à ſe invicem differunt: *Manneli* enim eſt inter *Papilionaceas ſiliquoſas*, ſpecies *Geniſtellæ tinctoriæ*. *Tsjovanna-Manneli*, *Mimoſæ* genus eſt; & *Tsjetu-Manneli* planta eſt aquatica, omnes ergo ad ſingularem pertinent ſpeciem.

Suendadi-pullú lat.

Mal.

صُوْدِهِنّ دَادِيْ بُوْلِحَهْ Arab.



Trifolium indicum. L.

SUENDADI-PULLU.

TABULA XL.

ARenoſo hæc planta gaudet ſolo, altitudine duum triumve pedum. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* rotundi, virides, parum lignoſi. *Folia* in petiolis tenuibus paſſim terna oriuntur, oblongo-rotunda, mollia, lenia, viroris in recta parte fuſci & ſurdi. *Coſta* media in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. *Flores* in propriis petiolis viridibus, ſupra exortum pediculorum foliaceorum, plures congregati videntur, inferiora verſus inflexi, parvi, papilionacei, tetrapetali. *Stylus* in *ſtamina* finditur flavis nodulis inſtructa, inſtar theculæ filamentum transmittens. *Calyx* viridis. Floribus ſuccedunt *Gemmæ* oblongæ, nigricantes, ſingulæ unicum *ſemen* continentes oblongo-rotundum, flavum, ſubrufum. Virens hæc planta nullius eſt odoris, ſicca grati. Per deſtillationem aqua elicitur fragrantiſſima. *Fructus* in pulverem redacti, artuum laſſitudinem adjuvant.

TAB. 40.

Melilotus hæc planta eſt *flore albo*, cum noſtro communi magnam habens convenientiam, ſi non eadem.

Coletta-veetla lat.

കൊളെറ്റവെറ്റില mal.

gontúa

गोट्वा bram.

كُحالجهْطِهِ بجِهْطِيلا arab.



Barleria Prionitis. L.

COLETTA-VEETLA.

TABULA XLI.

Linguâ Bramannum *Gontua*, planta eſt trium, quatuorve pedum, arenoſa & uda amans loca. *Radix* numeroſis lignoſis fibris undequaque circumdata & nigricans. *Stipites* ut & *rami* rotundi, viridi nitente, glabro *cortice* veſtiti, geniculati, in geniculis ſpinis transverſis viridibus, tenuibus, acutis, longiuſculis muniti. *Folia* in illis bina & bina proveniunt, ſingula ſpinis utrinque quaternis comitata, ordine ſe mutuo decuſſantia, oblongo-rotunda, nonnihil cuſpidata, ſpiſſa, lenia, glabra, coloris fuſci & nitentis, ſaporis amari. *Coſtæ* in adverſa parte eminent; ut & *Flores* terni, quaterni, maxime ad ſummitatem ſurculorum, *collo* flavo longiuſculo ex apertis calicibus, qui plurium ſunt foliorum prodeuntes, flavo-rubeſcentes, pentapetali, odoris expertes. *Stylus* in medio tenuis, & albicans, ac cum eo *ſtamina* quatuor flaviuſcula, ac colli inferiori parti inſerta, duo ſurrectiora & craſſiola, flavis, ſurrectis, craſſis *apicibus* nodulata, duo breviuſcula ac demiſſa, in collo inferius recondita. *Floribus* deciduis ſuccedunt *Capſulæ ſeminales* oblongæ, compreſſæ, lateribus parum convexis, & in cuſpidem oblongum ſtrictæ, rigidæ, ligneæ, cortice intus albicante, qui viridi inveſtitur corticula; in medio laterum compreſſorum & in oris, ſuturis ſtriatæ. In ſingulis capſulis, duo reperiuntur *ſemina*, in propriis loculamentis, interſepimento lignoſo, craſſo, à ſe mutuo ſejuncta, rotunda, parum oblonga, una parte qua interſepimento accumbunt, plana, altera nonnihil convexa, coloris ex albicante ſubrufi, nitentis, ſaporis amari. *Folia* indigenis vicem foliorum *Bethel* in comeſtione, *Arequæ* præſtant. *Succus* aphtis conducit, inteſtinorumque ex flatibus intumeſcentiæ.

Tab. 41.

Plânta hæc nullam habet conſpeciem; anomala ergo erit, uſquedum major ad nos illius pervenerit notitia. Anno 1688. illam in Horto Medico Amſtelodamenſi ex ſemine produxi, nec deprehendere potui, illam antehac fuiſſe deſcriptam; poſtea autem in Herbario vivo Ceylanico obviam mihi facta eſt, ubi a DD. Hermans vocatur *Eryngium Ceylanicum febriſugum, floribus luteis*; Cingalenſes dicunt *Kathukarohiti.*

Váda-kodi Lat.

Mal.

Kaló-adulúſso

कालोअडुळसो Bram.

Arab



Juſtitia Gendaruſsa. L.

VADA-KODI.

TABULA XLII.

V*Ada-Kodi*; Bramannicè *Kalò-Aduluſſo*, planta eſt altitudine trium, quatuorve pedum, arenoſum eligens & terreum ſolum. *Radix* fibroſa, albicans. *Stipites* ut & *rami* rotundi, atro ceu etiam ſpadiceo nigro nitente *cortice*, geniculati, in articulorum initiis extuberantes; *corculum* interius fungoſum albicans. *Folia* in geniculis bina & bina videntur in pediculis brevibus, interius planis, ſpadiceo nigris & rubeſcentibus, ordine ſe mutuo oblique decuſſantia, oblongo-anguſta, in cuſpidem arctum oblongum anguſtata, texturâ ſolida, mollia, ſuperficie glabra, viroris diluti. *Coſta* media, ſpadiceo nigra, rubeſcnes & nitens utrinque eminet, maximè in adverſa parte. *Flores* in ſummitate ſurculorum plures congregati in geniculis proveniunt, in unoquoque tres quatuorve, *collum* illorum album eſt & bifolium, quorum unum ſurrectum anguſtius & cuſpidatum, exterius coſtula eminente extuberans, albicans, venis rubro-purpureis interius ſtriatum; alterum latius, exteriora verſus reflexum, anterius in tres lingulas diſſectum, exterius ex colli ventre tribus coſtis inſtructi, quarum media craſſior & altè eminens, & verſus lingulam folii latioris mediam excurrit; duæ aliæ verſus lingulas laterales producuntur; interius plicis ſtriati, venis ex coſta media reticulatim pertexti, interius lineis rubro purpureis anteriora verſus notati. In medio duo *ſtamina* habent alba, folio ſurrecto accumbentia, *apicibus* flavo dilutis nodulata. *Stylus* ex purpureo albicat, ex oblonga gemmula, coloris atro-purpurei ac nitentis emicans. *Calyx* quinque cuſpidata habet foliola. In unoquoque calice *ſemen* deprehenditur unicum, oblongum, nonnihil planum, in medio velut nervulo extuberante obſitum, fuſcè tandem rubeſcens. Foliorum *ſuccus* ſe-

mini *ſinapi* admixtus emetica virtute aſthmati adverſatur. Ex iisdem balneum conficitur, vel ſi ſacculus ex illis conſuatur, & admiſto ſale nigro incaleſcat, egregium in articulari morbo remedium ſuppeditat.

TAB. 42.

Folia convenientiam aliquam habent cum *Lutum Herba*; flos eſt galeatus & labiatus; quisque unicum ſemen profert; à me nominata eſt *Perſicaria Malabarica, flore galeato & labiato monoſpermon.*



Juſtitia bivalvis. L.

ADEL-ODAGAM.

TABULA XLIII.

LIngua Bramannum *Adulaſſo*, planta eſt ex genere virgultorum, naſcens in arenoſis ad altitudinem ſtaturæ humanæ. *Stipites* ex *radice* plures exſurgunt, qui, ut & *rami* vetuſtiores, cinerei, teneriores, virides & geniculati, lignum albicat. *Folia* in ramis ad geniculos bina & bina exoriuntur, pediculis parvis, interius ſulcatis, oblongo-anguſta, in oris, raris, tenuiſſimis crenulis fiſſa, in cuſpidem oblongum coarctata, mollia, lenia, plana, viroris fuſci, ſaporis amari. *Coſta* media in adverſa parte eminet. *Flores* in petiolis viridibus, interius ſtriatis, qui ex geniculis ſupra originem foliorum emergunt, plures congregati proveniunt, foliis brevibus, cuſpidatis ſuccincti; in totum candidi ſunt, conſtantes *collulo* brevi, lato & nonnihil plano, ac duobus petalis oblongis, ſurrectis ac mutuo obverſis, unum illorum cuſpidatur & in medio excavatur, exterius *coſta* candida, quæ in cuſpidem incurrit, obſitum, alterum planum eſt, ſuperne in tres lacinias ſeu *lingulas* profunde diſſectum, in medio *coſtula*, quæ verſus mediam lingulam excurrit, præditum, transverſis venis reticulatim ſtriatum, criſpatum & tranſparens. *Stamina* in illis duo candida, craſſiola, *apicibus* magnis, viridibus dotata, folio cavo accumbentia; *Stylus* cum illis craſſiolus, candidus ex *globulo* oblongo, viridi emergit, in *calice* ſitus, qui viridi-dilutus, quinque oblongo, cuſpidata habens folia. *Foliorum* energeia in *aſthmate* lunari, tuſſi, ſanguinis ſputo atque atrophia eluceſcit, ſi cum aqua calida trita propinentur; ſi vero in manipulum colligata affecto loco calidè applicentur, vel pro ſuffimigio adhibeantur, in arthridite. Ex *foliis* ſimul & *radice* parum toſtis ſuccus extrahitur antiaſthmaticus.

TAB. 43.

Deſcriptio hujus plantæ imperfecta eſt, nam nec capſularum ſeminalium neç ſeminum ulla fit mentio. Caules quadrati ſunt, flos monopetalos difformis.

Kátu-karivi lat.

കാട്ടുകരിവി mal.

Cána-dádumári

चानदादुमावि bram.

فحاطو فحالع ضحي Arab.



Justitia atropurpurea.

KATU-KARIVI.

TABULA XLIV.

PLanta hæc à Bramannibus vocatur *Rana-Dadumari*, naſcens in arenoſis. *Caules* quadrati, geniculati, in exortu articulorum turgeſcentes, pilis hirſutis, aſperis obſiti. *Folia* ad geniculos geminata oriuntur, ſe mutuo decuſſantia, caules alatim ſuccingentia, oblongo-anguſta, cuſpidata, tenuia, mollia, leniſſima inſtar holoſerici, in oris pilis minutiſſimis obſita. *Coſta* in adverſa parte eminens, rubeſcit. *Flores* ſummitatibus caulium cum ſuis pediculis angulatis, piloſis inſident, monopetali, difformes, in tres lingulas inſecti, ac in illis ex *rubro nigricantes*, in collo interius albicantes, ut & exterius, ſed ibidem venis rubris ſtriati, in dorſo colli exterius rubeſcentes. *Stylus* ſurrectus, planus, quo folium anguſtius reſpicit albicans, interius venis rubris ſtriatus, *Capitulum* ipſius nigrum eſt & ad latera complanatum, ad verticem criſtula flava obſitum, inferne pilis albicantibus barbatum. *Gemmæ* florum oblongæ, piloſæ.

TAB. 44.

Imperfecte hæc ut præcedens deſcripta, fructus enim & ſemina deſunt.

Válli-upú-dali Lat.

വള്ളിയുപ്പുദളി Mal.

وَالِيَا وُبُوْطَحَلِيْ Arab.



Ruellia intrusa Vahl.

VALLI-UPU-DALI.

TABULA XLV.

ALtera ſpecies eſt, tortuoſis & procumbentibus ſurculis repens, arenoſo gaudens ſolo. *Radix* albicans, fibroſa, duriola, lignoſa. *Caules* quadrangulati, geniculati, cymis inflexi, ſupra geniculos extuberantes, viridi fuſciores, glabri, pilis rarioribus ſparſim obſiti. *Folia* bina & bina ex geniculis erumpunt, in petiolis longiuſculis, interius planis, majora ut illa primæ ſpeciei, pilis rarioribus conſperſa, viridi fuſciora. *Flores* una velut ſerie, in ſummitate ſurculorum appendent, anteriora verſus converſi, ad pedunculorum exortum in nodulis, folioliis breviſſimis, cuſpidatis comitati, campani formes, pedunculo breviſſimo purpuraſcente ex calice exſilientes, quaſi pentapetali, duobus ad dorſum colli petalis brevibus, quæ exteriora verſus reflectunt, ſe aperientes; ad ventrem tribus, quorum medium latius, ac velut lingula emicans, præ cæteris altè purpuraſcens; nervulo in medio obducta, ad lingulam ſtriata, in dorſo colli purpureo-rubro-ſatura, in ventre dilutiora & albeſcentia, punctuliſque purpureo-rubris interius adſperſa. *Stamina* habent quatuor, albicantia, quorum apices bifidi, albeſcentes, ad ſe mutuo inflexa. *Stylus* albicans, tenuis, ſuperne inflexus. *Calyx* quinque folius eſt. *Capſulæ* ſeminales ut illæ *Upu-Dali*, ſed majores, piloſæ, exterius ob *ſemina* extuberantia lacunoſæ, quæ ferme eadem, ſed majora. Adhibetur hæc planta in concoctione *Salis Nitri*.

TAB. 45.

Pertinet hæc planta inter *herbas flore monopetalo, difformi; flores calice bivalvi*, congenus *Digitalis* videtur & vocari poſſet, *Digitalis affinis Malabarica, folio piloſo.*



Justitia echioides. L.

PEE-TUMBA.

TABULA XLVI.

B*Vtumbo* planta hæc à Bramannibus vocatur naſcens in locis humidis ad altitudinem trium circiter pedum. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* quadrati, geniculati, virides, pilis candidis, longiuſculis obſiti, parum lignoſi. *Folia* geniculis in medio laterum geminata & ordine decuſſato inſident, oblongo-anguſta, rigidiuſcula, piloſa & aſpera, verſus interiora nonnihil clauſa. *Coſta* media craſſa, viridi albicans, cum lateralibus utrinque eminet, maxime in adverſa parte. *Flores* in petiolis oriuntur longiuſculis, qui ex ſingulis geniculis geminati egrediuntur, coloris albo-ruffeſcentes. *Capſulæ* ſeminales oblongæ, complanatæ, lignoſæ, virides, ſutura lacunoſa ſtriatæ, quinque conſtant foliolis oblongis, anguſtiſſimis, ſurrectis viridibus ac rubeſcentibus, candidis, nitentibus, longiuſculis pilis obſitæ. *Semina* in duobus conſident loculis, oblongo-rotunda, plana. In totum ergo planta hæc piloſa eſt, odoris grati hortenſis. *Folia* contrita alexipharmacum ſunt, adverſus rabidi canis toxicum, extrinſecus nempe adhibita. *Succus* ſpecificum quid eſt in algidis febribus.

TAB. 46.

Proximè hæc planta accedit ad Lyſimachiam Virginianam.



Impatiens fasciculata. Lam.

ONAPU.

TABULA XLVII.

ONapu; Bramannicè *Tambido* tres dantur ſpecies; una ejus nominis, altera *Valli-Onapu*; tertia *Tsjeria-Onapu*; planta eſt naſcens in udis ad altitudinem duorum pedum. *Radix* cauli haud ab ſimilis, aquea, in geniculis fibris albis veſtita. *Cauliculi* rotundi ac geniculati, primum viridi-clari, dein rubicundo pulchri, transparentibus venulis albicantibus interſtincti, intus fungoſi. *Folia* in geniculis bina & bina, ſe mutuo decuſſant, oblongo-anguſta, in margine denticulis acutis, rubeſcentibus inciſa, denſa, rigida, lenia, exterius viridi-diluta; *coſtula* in recta parte, ubi fuſca ſunt, nonnihil eminet. *Flores* qui duo vel tres ac etiam plures, petiolis rubicundis, languidis oriuntur, galeati, roſaceo-ſaturi, tetrapetali, illorum unum ſurrectum eſt à poſtica parte capituli petioli emicans, parvum & rotundiolum, in parte exteriori coloris rubri & nitentis, ac coſta viridi in medio obductum: duo oblongo-rotunda & uniformia, galeam integentia, qua cum capitulo petioli ex transverſo anguſtis unguiculis adſtricta ſunt, ſingula unguiculam emittentia; quartum conſtituit galea, eſtque illa oblonga, roſtrata, membranacea, transparens, venulis intensè rubris, exterius ſuo colore transparentibus, transverſim ſtriata, à parte poſtica ungulam emittens. In capitulo petioli *fructus* reſidet cucullo obtectus, ſupernè rubens, in medio albicante farinaceo rore conſperſus, quinque ſubtilibus rubris membranulis petiolo adſtrictus; ſuntque hi fructus, qui floribus deciduis etiam cucullo nudantur, oblongo-rotundi, anguſti, primùm viridi obſcuri, dein viridi clari, nonnihil transparentes, quinque ſtriis, in quinque oblongos cancellos diſtincti, ex genere ſenſilium, cancellis namque ſuis ex

levi attactu ceu compreſſione relaxatis, impetu in quinque ſeſe intorquent annnulos, ac ſemina ſua excutiunt, explicantque ſe cuſpides ſuperiores cancellorum in latum, ad inferiores illorum partes, quæ petiolo annexæ ſunt; qui annuli ita rigeſcunt, ut eorum cuſpides non niſi frangendo à partibus inferioribus divelli poſſint. In fructubus præterea *Stylus* rectus ſeſe erigit & albicans, cui ſemina adhærent; quæ parva, rotundiola, primò albicantia; poſt nigerrima & nitentia.

TAB. 47.

Balſaminæ fæminæ genus eſt.

Válli-onapú lat.

വളിയൊണപ്പൂ Mal.

Tiló

तीलो bram.

وَالياعُنابُوْ Arab.



Impatiens latifolia L.

VALLI-ONAPU.

TABULA XLVIII.

ALtera ſpecies *Tilo* à Bramannibus dicitur. *Radix* eadem. *Caules* qui in ventoſiores nodos extuberant viridi clari ſunt, non nitentes, & in geniculis obſcurè rubeſcentes, minus rotundi, in partibus ſuperioribus quadrangulares, intus filamentis magis lignoſis pertexti, atque adeo duriores. *Folia* quæ in nodis, petiolis interius planis bina, & paſſim novellis cauliculis comitata, proveniunt, oblongo-rotunda, majora, oris anterius in cuſpidem anguſtum contractis, in margine multum inciſa, in recta ſolum parte pilis raris & ſurrectis obſita, minus ſolida. *Coſta* media in adverſa parte maximè, in recta aliquantulum eminet. *Flores* ſupra ex origine foliorum oriuntur, duo, pluresve, vel etiam ſolitarii, in ſummitate caulium, etiam galeati, coloris non ita ſaturi, pro tempore magis minusve albicantes, maximè exteriori parte, hextapetali, unum è poſtica parte capituli ſitum, latius eſt & interius cochleato cavum, exterius vena viridi obductum, verſus alia quatuor inflexum, quæ rotunda, parum oblonga, galeam obtegentia, ac cum illa transverſo capitulo petioli adſtricta; ſextum galeam conſtituit, quæ albicans eſt & minus oblongum, cum ſuo calcari albicante, verſus roſtrum criſpatum inflexo. *Gemmæ* rotundæ & nonnihil cuſpidate. *Fructus* eodem modo cucullo obteguntur, ſed ille rubeſcit, & ſuperius flaveſcit, de cætero ſimiles ac etiam ſenſiles, ſed illi prioris ſpeciei anguſtiores. *Semina* rotunda ſunt, formâ nonnihil plana, primùm candida, pilis veſtita.

TAB. 48.

Secunda hæc *Onapu* ſpecies eſt, ſed ex omni parte major. Inter ſpecies *Balſaminæ fæminæ* proximè pertinet.

Tsjería - onapú lat.

ചെറിയ ഒനാപ്പു Mal.

Filó

तीलो bram.

چِهِرِيَا عُنَا پُوْ arab.



Impatiens fasciculata β. Lam.

TSJERIA-ONAPU.

TABULA XLIX.

TErtia ſpecies à Bramannibus vocatur *Tilo. Radix* eadem. *Caules* magis rubeſcunt. *Folia* inter priores ſpecies media, pilis minutiſſimis, maximè in venularum tractibus obſita, paſſim duabus gemmulis viridi dilutis obducta, fuſciora. *Flores* ad illos *Onapu* accedunt, ſed pallidiores, tetrapetali; *galea* albicans eſt, calcar viride; *capitulum* petioli ſupernè flavum. *Fructus* etiam ſenſiles, oblongiores & anguſtiores, è quibus *ſemina* per membranam interiorem hinc inde valde protuberant.

Tab. 49.

Tertiæ hujus ſpeciei folia latiora, flores minores.

Man-onapú lat.



Impatiens fasciculata. Lam. ?

MAN-ONAPU.

TABULA L.

ESt & *Onapu* minor, in omnibus conveniens, præter quod *caules* magis ſint ruffeſcentes, *folia* majora & viridi-fuſciora; *flores* in duobus foliis purpureo ceu rubro-cæruleſcentes; *fructus* virides & venis viridi-fuſcioribus ſtriati, majores & oblongiores.

TAB. 50.

Planta hæc quamvis non plenarie deſcripta, conſpecies eſt præcedentium, cæteris tantum in omnibus partibus minor.

Belſutta-onapú

[illegible] mal.

tiló

तीलो bram.

غُنَايُوْ arab.



Impatiens fasciculata. Lam.?

BELLUTTA-ONAPU.

TABULA LI.

SPecies eſt *Onapu* minor, naſcens in petroſis. *Radix* ex albicantibus & tenuibus conſtat fibris. *Caules* tenues, rotundi, aquei, transparentes, albicantes, nitentes, geniculati, ex geniculis novos cauliculos emittentes. *Folia* in geniculis caulium bina videntur oblongo-anguſta, in cuſpidem deſinentia, ad pediculum ſtricta, in oris minutis, raris venulis inciſa, pilis maximè in venarum tractu obſita. *Coſta* viridi-fuſca eſt ac nitens, etiam in recta parte nonnihil eminens. *Flores* petiolis oblongiuſculis, tenuibus, albicantibus, incurvis congregatim terni vel etiam quaterni, ſupra exortum foliorum erumpunt, candidi, difformes, tripetali; duo, verſus quæ capitulum petioli inflexum, latiora ſunt, unguiculis ſtrictis, ac ibi punctulo rubro notata; tertium interius cochleato cavum, exterius piloſum ac ſubvirideſcens; ad ejus exortum ſacculus retiformis ſubviridis, calcar viridi-albicans, in curvum dimittens, à petiolo verſus duo folia transverſa incurvatum, anteriori parte folia ad mutuum contactum ſuffulciens. *Gemmæ* virides, in cuſpidem ſtrictæ, ad latera complanatæ; petioli *capitulum* viride, umbilico flavo in vertice dotatum. *Fructus* qui petiolis viridi albicantibus, demiſſis appendent, capitula ſunt oblonga, viridia, venis ſubtilibus in longum ſtriata, ut illa prioris ſpeciei.

TAB. 51.

Hæc minor ſpecies *Man-Onapu*, cum illa ex omni parte convenit.

Tiló-onapú lat.

[illegible] *Mal.*

Tiló

तीलो *bram.*

غنآيوْ *arab*



Impatiens Balsamina L.

TILO-ONAPU: ceu *NOTENGA.*

TABULA LII.

PLanta hæc duum triumve pedum naſcitur in arenoſis. *Caules* viridi-diluti, aquei. *Folia* oblongo-anguſta, cuſpidata, in oris arctè crenata, tenuia, fuſca, in recta parte pilis obſeſſa, amara. *Flores* plures ſimul ſupra exortum foliorum conſpiciuntur tetrapetali; uno ſurrecto, obtuſè cuſpidato, interiora verſus nonnihil clauſo, ex albo ſubrubeſcente; duobus rotundiolis, unguiculis ſtrictis, roſacco ſaturis, inferius rubeſcentibus, transverſim ſupra quartum expanſis, quod galeatum, ex adverſo petali ſurrecti ſitum, albicans ac dilutiſſimi ruboris, calcar emittit viride, à petiolo criſpatum. *Capitulum* in medio emicat roſaceo apice obtectum, germen *fructus*, ex genere ſenſilium, qui ex attactu ſe cum impetu laxant & ſemina excutiunt, ut illi *Tilo*, à quibus tamen differunt, quod denſis ſint albicantibuſque pilis obſiti.

TAB. 52.

Ad priores hæc planta pertinet *Onapu* ſpecies, atque illarum conſpecies eſt, pauco tamen cum diſcrimine; ſi capſularum ſeminalium, poſt attactum, diffractio abeſſet, omnes pro conſpiciebus Balſaminæ feminæ haberi poſſent; hanc vero ego reputo pro *Perſicaria ſiliquoſa Indica, flore roſaceo colore, fructu piloſo.*



Torenia asiatica. L.

KAKA-PU.

TABULA LIII.

LIngua Bramannum *Caela-Dolo*, planta humilis, repens, arenoſa & uda amans loca. *Radix* fibroſa, albicans. *Cauliculi* geniculati hinc inde ex geniculis radiculas ſpargunt tenues, albicantes, teneri ſunt, quadrangulati, piloſi, in angulis pilis magis conſpicuis obſiti, intus humidi. *Folia* ordine nonnihil decuſſato bina & bina, ex geniculis, petiolis brevibus, teneris, piloſis, interius planis, ſulcatis, glabris, nitentibus proveniunt, parvula, cuſpidata, in oris denticulis majuſculis ex æquo ſerratim inciſa, texturâ tenuia mollia, ſuperficie lenia, utraque parte piloſa, *coſtulis* in adverſa parte ſtriata. *Flores* in geniculis caulium erumpunt, monopetali, campaniformes, quadripartiti, coloris ex parte venuſti, partim purpureo-rubro-fuſci, vel albo rubri dilute purpuraſcentis. *Stamina* in illis quatuor purpureo-rubro-fuſca, bina ac bina arcuatim ad ſe invicem inflexa, ſingula apicibus, qua colli dorſum reſpiciunt candidis & nitentibus, quà ventrem cærulæo-dilutis inſtructa; illorum duo ſupereminent, collo ventris inſerta, ubi ſingula unguiculo tenui, purpureo-rubro-fuſco concomitantur; duo depreſſiora ſunt, dorſo campanæ inſerta. *Stylus* candidus eſt ac nitens, dorſo proximè accumbens, ſupernè quaſi in ſurculum fiſſus. *Calyx* oblongus, viridis quinque angulis eminet, ſuperne in quinque cuſpides fiſſus, ad latera profundius hians. Planta cum *Sandalo*, *Cariophillis*, *Nuce Moſchata*, & *aqua roſarum* contrita, linimentum præbet exanthematicum. *Foliorum ſuccus* cum *Saccharo* gonorrhæam ſiſtit.

TAB. 53.

Flos eſt *Monopetalus, difformis*; ſemina & capſulæ ſeminales non ſunt deſcripta, atque ideo rectum de illis judicium vix ferri poteſt, alioquin inter *Hederæ terreſtris* ſpecies recenſeri, & pro conſpecie *Aſarinæ* ſive *Hederuæ ſaxatilis Lobeli*, prout ex delineatione deſumitur, haberi poſſet.

Schit-elu lat.

ചിറ്റെള്ളു Mal.

جلجل Arab.

तीळ bram



Sesamum orientale L.

SCHIT-ELU.

TABULA LIV.

ELu duæ ſunt ſpecies, *Schit-Elu* & *Car-Elu*; prior Bramannibus *Davo-Tiloë* dicitur, planta eſt altitudine quatuor vel quinque pedum, arenoſum amans ſolum. *Radix* parva, fibris capillaceis veſtita. *Caulis* ex radice exſurgit unicus, in raros cauliculos diviſus, qui vel bini vel ſolitarii è nodulis prodeunt, quadrangulati, in unoquoque latere ſulco ſtriati, piloſi, viridi diluti. *Folia* quæ petiolis mediocriter longis, viridi claris, piloſis; ſtriatis, hinc inde caulibus inſident, oblongo-rotunda ſunt, cuſpidata, piloſa, nervis in adverſa parte eminentibus ſtriata, in oris magis minusvè crenata; in inferiori parte caulium folia quædam majora, ſimplici numero, conſpiciuntur. *Flores* ex origine foliorum oriuntur, cucullati, oblongi, monopetali, ſuperius quinque partiti, tenuiter inciſi, lanuginoſi, præcipuè in exteriori ſuperficie, candidi, inodores. *Stamina* habent quatuor, tenuia, rotunda, candida; flavis ac ſurrectis apicibus dotata; *ſtylus* tenuis eſt & bifurcatus. *Calyx* parvus, ſurrectus, in quinque anguſta & cuſpidata foliola inciſus. *Gemmæ* oblongo-rotundæ, ac primùm ex albo ſubflavæ, poſtea magis albeſcentes, quinque angulis velut ſtellæ formam repræſentantes. *Siliquæ*, ſeminibus plenæ, ubivis ferme, ubi folia ſunt, petiolis brevibus caulibus inſident, rectæ, oblongæ, quadrilateratæ, duobus lateribus adverſis planiores, omnes verò ſulco ſtriatæ, virides, piloſæ, in quatuor capſulas ſeminales, interſepimentis lignoſis diſtinctæ. *Semina* in ſingulis capſulis ſeriatim ac ſimplici ordine conſident, umbilicis columnulæ mediæ affixa, plana, rotundiola, ad umbilicum cuſpidata, lateribus ſuis planis in longitudine capſularum diſpoſita, coloris, cum ſicca ſunt, ex rubro ſpadiceo fuſci, intus albicantis, ſaporis ſubamari. *Oleum* ex ſeminibus extra-

ctum, quod etiam oleum *Sirgelim* vocant, pro quibuſcunque pene exhibetur doloribus, eoque in lotione frequentiſſime utuntur Indigenæ, ad perungendum corpus, & quotieſcunque dolore aliquo infeſtantur, additis in decocto nonnullis ſimplicibus: cum *Amphione* ſumtum mortem inducit, ejus antidotum eſt ſuccus radicis *Tinteli*; Luſitanice *Covel*, vel ſuccus ex fructu *Barudena* dicto, Luſitanice *Bringella*.

TAB. 54.

Planta hæc *Seſamum* veterum eſt, *B. Pin.* Alpinus *de plantis Ægypt.* vocat illam *Sempſem*; Malaccenſes *Bidzjam Poeteh*, quod valet. *Bidzjam album*, ſemen enim, ut illud Seſami vulgaris, album eſt.

Car-elú *lat.*

mal.

arab.

bram.



Sesamum indicum. L.

CAR-ELU.

TABULA LV.

SEcunda ſpecies *Car-Elu*, dicitur; lingua Bramannum, *Caro-Tilu*, cum prima maxime convenit, niſi quod paulo altius exſurgat. *Caules* etiam nonnihil craſſiores ſunt; *folia*, *flores*, *ſemina*, majora, color magis fuſcus, ſapor ſubamarus. *Flores* comeſti oculorum vitiis medentur; cum *fructubus* triti & *butyro* in formam emplaſtri redacti, apoſtemata ad maturitatem perducunt. *Oleum* ex *ſeminibus* extractum (*Oleum Sirgelim* nomine venit) humoribus phlegmaticis ex flatibus conducit, ſi nempe corpus cum illo perungatur; & ſi Malabarienſibus habenda fides, pinguiores extenuat ac macilentos obæſos reddit; oculorum caliginem pellit, viſum debiliorem confortat, capiti nempe illito; ex eodem etiam unguenta conficiuntur pro vulneribus & ulceribus: cum *Amphione* ſumtum mortem infert: *Semen* contritum & cum ſucco *Cajennèam* exhibitum, vertiginem tollit: eadem bene lota & excorticata variis modis condiuntur.

TAB. 55.

Car-Elu ſecunda ſpecies eſt *Seſami*; à nemine, quod ſciam, ante hac memoratum; ex omni parte majus, quare *Seſamum Indicum*, *folio amplo*, *ſerrato*, *flore majore*, *ſemine nigricante* vocari poteſt; Malaccenſes dicunt *Bidzjam Hitem*; idque à colore ſeminis.

Cará-Cániram lat.

കാരകാഞ്ഞിരം mal.

كَارَكَانْجِرَمْ arab.

काचो bram.



Justitia paniculata. Vahl.

CARA-CARINAM.

TABULA LVI.

SEcunda ſpecies eſt *Caniram*; Bramannicè *Boin-Caro* vocatur, planta eſt altitudine duum pedum, arenoſa amans, florens tempore pluvioſo. *Radix* plurimis conſtat fibris lignoſis, capillatis, nigricantibus, cujus cortex maarus. *Caules* qui vel ſimplices, vel duo tresve ex radice exſurgunt, virides, quadrangulati, in nodos diſtincti, cauliculos paſſim binos, qui ſe mutuo decuſſant, emittentes. *Folia* è nodis caulium petiolis brevibus bina & bina proveniunt, oblongo-anguſta, inferius contractiora, tenuia, mollia, ſuperficie plana, coloris viridi-fuſci, ſaporis amariſſimi; nervulus in utraque parte eminet, magis autem in adverſa. *Flores* in petiolis tenuibus, viridibus, quadrangulatis, interdum etiam nonnihil ramoſis videntur, qui è caulium nodis, ſupra originem foliorum, paſſim bini & bini ex adverſo oriuntur, iiſque pedunculis brevibus, tenuiſſimis, hinc inde, præſertim in ſuperioribus parvibus adhærent: bipetali ſunt, uno anguſto & reflexo, in totùm albo; altero latiori, ſurrecto, nonnihil reflexo, ac in tres cuſpides æquè altè emicantes diviſo, quod etiam album, & circa oras duobus, rubro obſcuris radiis, qui ad duos extremos cuſpides excurrunt, variegatum eſt, & in medio macula rubra notatum. *Calyx* laxus eſt, in quinque anguſta & piloſa folia diviſus, cui tenuiori pede inſident. *Stamen* habent longiuſculum, albicans & piloſum. *Stylus* tenuis eſt & aliquantulum rubeſcens, ex germine capſularum ſeminalium ortum trahens. *Capſulæ ſeminales* anguſtæ, quadrangulatæ, compreſſæ, planæ & duriolæ, in longum ſulco ſtriatæ, interſepimento ex ſulcis excurrente, in duas quaſi camerulas ſeminales oblongo anguſtas diſtinctæ. *Semina* quæ in ſingulis camerulis tria reperiuntur quatuorve, parùm

oblonga, primò viridia, dein albicantia, ſicca ruffa ceu ex flavo rubeſcentia, ſubamara. Tota planta cum infuſione *Oryzæ* macerata morſui virulento ſerpentis, Copra Capella, dicti, medetur, epota nempe, quod & peruncta præſtat.

Tab. 56.

Quod hæc planta alterum genus eſſet *Caniram*, cujus ſpecies parte *prima*, *ſeptima*, *octava* hujus Operis ſunt deſcriptæ, error eſt, quia hic ſolum nomen ſine convenientia in genere reperitur; pertinet enim inter *plantas flore papilionaceo ſiliquoſas ſeu leguminoſas*; cum etiam ſiliqua, ſecundum delineationem aliquo modo veſicalis videatur (quamvis hoc ex deſcriptione non pateat) referri poſſet inter plantas *Crotolarias* dictas, præcipue cum ſemina illarum ſeminibus aſſimilentur; cæteræ vero *Caniram* omnes plantæ pomiferæ ſunt vel bacciferæ; atque ideo planta hæc ſui generis eſt.

Tsjánga-puspám lat.

ചങ്ങപുഷ്പം mal.

Tsjánga-puspám

वकपुष्पं bram.

شانغو بوشپام arab.





Gratiola rotundifolia. L.

TSJANGA-PUSPAM.

TABULA LVII.

PLantula eſt naſcens in arenoſis. *Radix* viridi-albicans, ac albis veſtita fibris. *Caules* craſſioli, quadrangulares, ſuperne ſtrictiores, geniculati, ex geniculis novos cauliculos emittentes, ac in illis foliis geminatis, ſe mutuo decuſſantes veſtiti; in totum aquoſi. *Folia* parvula ſunt, oblongo rotunda, tenuia; *coſtula* media cum duabus lateralibus in adverſa parte ſtriata. *Flores* qui in petiolis tenuibus, longioribus ſupra exortum foliorum è geniculis oriuntur, cærulei ſunt, papilionacei, bipartiti, inferius duabus cæruleo-purpureo-fuſcis maculis notati; *ſtamina* in illis duo albicantia, ad ſe mutuò inflexa, apicibus albicantibus inſtructa; *Calyx* quadrifolius eſt. Tota planta *butyro* incocta gonorrhææ adverſatur, vel etiam cum *Calamo aromatico*, *Pipere longo* infantibus propinatur adverſus Epilepſiam, viridi diarrhæa comitatam: *radix*, cum ſucco ex foliis expreſſo, & *Sandalo rubro*, trita, oculorum vitio, Malabaribus *Edda Padelle* dicto medetur.

TAB. 57.

Species *Gentianellæ* hæc plantula videtur.

Katú-peê-tsjánga-puspám lat.

കാട്ടുപേച്ചെങ്ങപുഷ്പം mal.

पेचकपबषा bram.

بچّر چيانغه پوشپام arab.



Gratiola lucida. ?

KATU-PEE-TSJANGA-PUSPAM.

TABULA LVIII.

PLantula eſt arenoſo gaudens ſolo. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* virides, quadrangulati, geniculati, ſulco in oppoſitis lateribus, alternato in internodiis ordine, ſtriati. *Folia* in geniculis ad latus planum inferioris internodii geminata videntur, oblongo-anguſta, tenuia, lenia, glabra, in oris acutis ornata cuſpidibus. *Coſta* media in adverſa parte eminet. *Flores* plures congregati in vertice caulium proveniunt, papilionacei, albo purpurei, inferius rubro-purpurei. *Stamina* in iis duo ſurrecta, albicantia, ad ſe mutuo inflexa, albicantibus apicibus inſtructa; *ſtylus* albicans, ſuperiori parte complanatus, ex orificio calycis exſurgit, qui oblongus eſt & quinque cuſpidatus. *Capſulæ ſeminales* oblongæ, virides, ſubruffeſcentes, in illis numeroſa, minuta, arenacea *ſemina*, primùm viridi albicantia, communi viridi ſtylulo adhærentia.

TAB. 58.

Folia & flores hujus herbulæ, illis *Teucrii* penè aſſimilantur.

Peé-tsjánga-puspám lat.

പെചങ്ങപുഷ്പം Mal

नकपुषी bram.

بيهم جيانغبو شقحام Arab.



Gratiola veronicaefolia. Retz.

PEE-TJANGA-PULPAM.

TABULA LIX.

ARenoſa amat & uda, cum priori in omnibus fere convenit, præter quod *folia* minus oblonga, latiora ſint & rotunda; *flores* iidem ſed infra flaveſcentes; *calyx* quadripartitus, *ſtamina* in illis quatuor cum apicibus ad ſe invicem intorta. *Capſulæ ſeminales* oblongo rotundæ, numeroſa includentes *ſemina.*

TAB. 59.

Plantulam hanc *Pee-Tsjanga-Pulpam* eandem eſſe cum illa, quæ ab *Hermanno* in *Lat. Hort. Med. Lugd. Bat. Teucrium Americanum procumbens, Veronicæ aquaticæ foliis ſubrotundis*, vocatur, nullus dubito, excepto quod flores aliquo modo colore differant.

Nelám-parendá. Lat.

നിലംപരണ്ട *Mal.*

نيلم پارهنديغ *Arab*



Viola enneasperma. L.

NELAM-PARENDA.

TABULA LX.

PLanta humilis eſt, ſurculis decumbentibus ſupra terram expanſis. *Radix* fibroſa, albicans, intus lignoſa, odoris grati ac acris. *Rami* tenues, lignoſi, viridi cortice veſtiti. *Folia* ſurculis inſident, oblongo anguſta, cuſpidata, in oris tenuiſſimè crenata, mollia, lenia, fuſca, ſurda. *Coſta* media utrimque eminet, laterales in adverſa tantùm parte. *Flores* pedunculis tenuibus, viridibus & verſus inferiora inflexis, ſupra exortum foliorum videntur, monopetali, roſaceo-ſaturi, *coſtam* in adverſa parte habent mediam, in recta tres rubicundiores venulas, nec non duas folioſas ac falcatas uncinulas è calyce emergentes, quæ candidæ ac venis in longum ſtriatæ, cuſpide roſaceo ſaturo. *Calyx* quinquefolius, cuſpidatus, in cujus medio, *ſtamina* conſpiciuntur albicantia, ſurrecta, uncinulis obtecta, quæ in ruffos, croceos ac planos deſinunt apices, in quorum medio viridis *globulus ſtylulum* albicantem è vertice emittit. *Globuli ſeminales*, cum cuſpide albicante in vertice, forma nonnihil trilaterali ſunt, cortex cartilaginoſus, ſtriatus, præſertim in medio, ubi globuli ſe laxant, qui primum viridi-diluti, dein ruffeſcentes. *Semina* in ſe continent octo, oblonga rotunda, aqueo candida, nitentia.


TAB. 60.

Cum *Helleborine* plantula hæc quandam ſimilitudinem habere videtur.

Kátu-vistna-elándi Lat.

കാട്ടുവിഷ്ണുക്ലന്തി Mal.

ڪاطو بيشنو ڪلانضي Arab.



KATU-VISTNA-CLANDI.

TABULA LXI.

PLanta eſt naſcens in arenoſis. *Radix* ruffa, fibroſa & lignoſa. *Rami* tenues, rotundi, lignoſi, virides, pilis obſiti. *Folia* pedunculis parvis, viridi-fuſcis, craſſiolis, ramis inſident, oblongo rotunda, pilis tenuiter obſita, mollia, flaccida, lenia, viroris ſaturi. *Coſta* media in adverſa parte eminet, illorum ſapor ſubacris, odor nullus. *Flores* ſurculis transverſis inſident papilionacei tripetali, quorum duo roſaceo purpurei, tertium folium ungulatum eſt & cæruleum, in dorſo ſtaminibus purpureo cæruleis bifurcatis ceu trifurcatis criſtatim dotatum. *Stilus* theciformis eſt, inferne purpureo ruber, ſuperne in tenuiſſima, albicantia, longiuſcula filamenta, quæ ſingula gemmulis albis nodulata ſunt, fiſſus; filamentum transmittens albicans, incurvum, capitulo, longo, cæruleo inſtructum. *Calyx* quadrifolius eſt: quorum duo majora angulata, duo minora, majoribus decuſſatim interpoſita.

TAB. 61.

Imperfecta deſcriptio eſt, quare de hac planta non ex æquo dijudicari poteſt; figura enim fructus non memoratnr.



Justitia infundibuliformis. L.

MANJA-KURINI.

TABULA LXII.

BRamannicè *Abuli*, naſcitur in arenoſis. *Rami* rotundi, geniculati, cortice viridi fuſco, glabro; ligno albicante, in cujus medio medulla. *Folia* geniculis, petiolis oblongis, viridi dilutis, interius planis ac nonnihil alatis, paſſim quaterna, ſurrecta inſident, oblongo rotunda, tenuia, mollia, in adverſa parte, plurimis coſtulis annularibus, quæ ex *coſta* media exeunt ac valde eminent inſtructa; in recta parte, velut rugis, in tractu coſtarum, ſtriata; ſaporis ſubacris & ſubdulcis, illi Raphanorum nonnihil referentia. *Flores* in faſtigiis ſurculorum, ſpicatim videntur, in petiolis qui recta ex eorum vertice prodeunt, ceu qui transverſi ac laterales, ſupra exortum foliorum ex geniculis erumpunt, monopetali, in tres lacinias ſuperne diſtincti, coloris in totum aurancei floridi; collo oblongo flaveſcente ex *calyce* emicantes; *ſtaminula* habent quatuor, flava oblonga. *Capſulæ ſeminales* oblongæ, cuſpidatæ, lignoſæ, parum complanatæ, inferius ſtrictiores, primò virides, dein albicantes, foliolis parvis obtectæ, quæ primum in calyce oriuntur, dum adhuc ex ſuperiori parte flores ex gemmis erumpunt.

TAB. 62.

Manja-Kurini planta eſt anomala ſeu ſui generis; cum ullis enim nullam habent convenientiam.

Táli-pullú lat.

താളി പുല്ല mal.

طَعْلِيْ بُوللهْ Arab.



Tradescantia malabarica. L.

TALI-PULLU.

TABULA LXIII.

ARenoſo gaudet ſolo. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* virides, rotundi, geniculati, aquei, *foliis* gramini formibus, quæ ex geniculis prodeunt, veſtiti. *Flores* tripetali ſunt, rotundioli, cuſpidati, cæruleo-purpurei, ſcintillantes. *Stamina* in illis quinque, ex albo cæruleſcentia, oblongis cæruleis pilis barbata; tria tenuiora flavis apicibus nodulata, reliqua duo craſſiora, croceis. *Calyx* trifolius eſt. *Gemmæ ſeminales*, viridi dilutæ, nitentes, in vertice cuſpis eminet nigricans, de cætero convexi, trilaterati, in laterum medio leviter extuberantes, atque ibi ſe aperientes ac relaxantes. *Semina* in illis continentur ſex, interſepimentis deſtincta, trilaterales, uno convexo, duobus planis, ſuperficie cinerea ac ſcabra. Planta cum lacteo *Nucis Indicæ* ſucco capiti ſuperfuſa capillos promovet. *Succus* cum oleo *Tzit-Elu* decoctum *lepræ*, Malabaribus Bem Cuttam, Carìn-Cuttam, adverſatur.

TAB. 63.

Pertinet inter conſpecies *Phalangii Virginiani.* A°. 1688. plantam hanc ex ſemine, ab Authore noſtro ſub nomine *Rakalkazay Bengalenſis* mihi transmiſſo, productam vidi, atque eodem anno in horto noſtro Medico floruit, menſe Auguſto.

Upu-dali Lat.

ഉപ്പുതാളി Mal.

وُپُوطَحْلِيْ Arab.



Ruellia ringens L.

UPU-DALI.

TABULA LXIV.

DUæ ſunt ſpecies, una ejuſdem nominis, altera *Vallia-Upu-Dali.* Prior plantula humilis eſt, ſurculis tortuoſis procumbens, ac convolvuli inſtar repens. *Radix* lignoſa, fibroſa, albicans. *Caules* tenues, viridi fuſci, quadrangulati, durioli, geniculis interſtincti, ſupra geniculos in ſingulorum internodiorum principio, ventriculo turgentes, cymis inflexi, capillis albicantibus tenuiter obſiti. *Folia*, quæ in geniculis in longis, viridi dilutis, capillatis, interius planis petiolis, bina & bina proveniunt, oblongo rotunda ſunt & cuſpidata, capillis albicantibus obſita, tenuia, mollia, ſubaſpera, viridi fuſca. *Coſta* media cum nervulis annularibus in adverſa parte eminet. *Flores* in geniculis ad exortum foliorum proveniunt, campani formes, monopetali, quinque partiti, nervis per collum exterius ſtriati, ex albo cærulei dilutiſſimi; *ſtamina* habent quatuor albicantia, quorum duo altius emicant, ſurrectis ac albicantibus apicibus dotata. *Stylus* albicat, in vertice intortus. *Calyx* quinque anguſtiſſimis, piloſis, oblongis foliis, florum collum excipit, qui ad calycis exortum, duobus foliis minoribus comitantur, ſine ullo odore. *Capſulæ ſeminales* oblongæ, ſuturis ſtriatæ, in oris nempe, in duos loculos diſtinctæ, in medio laterum ubi ſe relaxant, tenuiori ſutura exaratæ; primùm virides & capillatæ, dein lignoſæ, albeſcentes. *Semina* valde compreſſa, tenuia, orbiculata, cinerea, in oris limbulo parum extuberante & ſubrufo circumdata, in ſingulis capſulis paſſim quatuor ſcutellatim conſita, interſepimento medio accumbentia. Foliorum *ſuccus* (ut & folia) in coctione ſalis adhibetur. *Folia* cum *ſale* cocta & in ſuccum compreſſa, humorum cachexiam corrigunt.

TAB. 64.

Quamvis duæ hoc loco ſpecies *Upu-Dali* memorentur, quarum hæc prior; altera vero tabula 45. hujus partis ſit deſcripta, nullam tamen inter ſe habent convenientiam, nec quoad formam, nec quoad genus, atque ideo hæc ſui generis eſt.

Soneri ilá lat.

[illegible] Mal.

Codigi

[illegible] bram.

[illegible] arab.



Cassebeeria maculata.

SONERI-ILA.

TABULA LXV.

NAſcitur in arenoſis. *Caules* albicantes, rotundi, geniculati, pilis oblongiuſculis obſiti, intus aquei. *Folia* in geniculis, petiolis oblongis, ſurrectis, albicantibus, interius ſulcatis, geminata & ordine decuſſato videntur, oblongo rotunda, pilis oblongis, nonnihil hirſutis obſita, ex *coſta* media craſſa, coſtulis craſſis eminentibus, quæ obliquo ductu anteriora verſus excurrunt, ſtriata, in totum variegata, exterius ad medium uſque maxima parte rubro-purpurea, uti & in oris ac coſtis; interius ex adverſo viridi fuſca, ad ſpadiceum vergentia; de cætero viroris vividi, punctulis rotundis, albis, numeroſis, ex quorum ſingulis interius, unicus emicat pilus, interſperſa. *Flores* in ſummitate caulium in pedunculis albo-purpuraſcentibus, piloſis, plures congregati, ad ſex, ſeptem, plus minus proveniunt, tripetali, oblongi, cuſpidati, interius roſaceo ſaturi, exterius roſaceo dilutiores, pilis raris obſiti. *Stamina* in illis tria, roſacea, apicibus ſurrectis, cuſpidatis, flavis, dotata. *Stilus* oblongus, roſaceus in medio ex *calyce* exſurgit, qui orificio eſt profundiori ac trium brevium cuſpidatorum foliorum.

TAB. 65.

Planta hæc proximè accedit ad *Pulmonariam maculoſam*, & inter aſperi folia pertinet, poteſtque vocari *Pulmonaria folio maculato Indica ſimilis, floribus tripetalis, roſaceo ſaturis.*

Kalú-polapen lat.

കല്ലുപൊലപെൻ *mal.*

Corosjerá

गजोवन *bram.*

قحالو يالا بحهن *Arab.*



Lobelia pubescens. Ait.?

KALU-POLAPEN.

TABULA LXVI.

PLantula humilis eſt, ſpithamam vix excedens, arenoſa amans & petroſa. *Radix* nigricans, lignoſa, rigida, fibris veſtita. *Surculi* craſſiuſculi, virides, quadrati, in ſingulo latere profunde ſtriati; brevibus albicantibus pilis obſiti. *Folia* in ſurculis abſque pediculis geminata prodeunt, ſe mutuo decuſſantia, parva, oblongo-anguſta, craſſiuſcula, rigida, pilis veſtita, in adverſa parte unica coſtula, ſine ullis nervulis lateralibus, obducta; ubi detrahuntur, ſimul pars corticis, inſtar petioli folio adhærentis, deglubitur. *Flores* ubique ferme ſupra ſingulorum foliorum exortum ſurrectim prodeunt, ipſis ſurculis accumbentes, conſtantque collo albicante ſubviridi & piloſo, quo ex calyce emicant, ac quatuor candidiſſimis foliis difformibus, in transverſum ad collum ſitis; unum illorum breviſſimum aſt latiuſculum, ora rotundiuſcula, & in medio brevi cuſpide eminens, exteriora verſus criſpatum, ſurculo, cui flores adhærent, obverſum; tria oblongiora, & circa adverſam partem folii brevioris extenſa, oblongo rotunda. *Calyx* oblongus, viridis, ad orificium quinque fuſcorum cuſpidum; in quo prodeunt *Capſulæ ſeminales* oblongæ, intra membranoſum corticem *ſtamina* includentes numeroſa, minuta, arenularum inſtar, ſtylulo viridi intermedio circumpoſita, primum viridia, dein cæruleo-nigricantia, & ac perſicum vergentia. Datur & ſpecies *Calu Polapi*, in eo tantum a priori differens, quod flores ex flavo virides ſint.

TAB. 66.

Sedi genus eſt, & nominari poſſet *Plantula ſedi minoris affinis folio piloſo, flore monopetalo difformi Malabarica.*


Kodátsjari lat.

mal.


Zénca-tsjáda

bram.

arab.



Indigofera glabra. Willd.



KODATSJERI.

TABULA LXVII.

Petroſa amat. *Caules* tenues, rotundi, virides, lignoſi. *Folia* caulibus hinc inde inſident, oblongo rotunda, craſſiola, ſuperficie plana & glabra, in adverſa parte *coſtula* viridi obducta, in cujus tractu interius ſtriata ſunt, odoris cum teruntur ſuavis. *Flores* ſupra exortum foliorum bini, terni ſimul, in uno parvo communi petiolo proveniunt, papileonacei, candidi, difformes; unum illorum ungulatum eſt, ad cuſpidem dilute cæruleſcens, ac infra verticem in dorſo criſta ceu plumula ſtaminea ſubcæruleſcente donatum. *Stilus* candidus eſt, ſuperne in filamenta tenuia, apicibus parvis nodulata, fiſſus, ac in medio filamentum candidum oblongius, quod annulatim criſpatur, recondens. *Calyx* quinque folius eſt & viridis, quorum duo oblongiora, tria minora, unum inter duo folia oblongiora, intermedio folio ungulato floris obverſum eſt. *Semina* oblongo-rotunda, plana, ſcabra, ruffo-fuſca. *Folia* cum *Oryzæ* lotura lævigata, vel etiam *cleo* incocta & exhibita abdominis cruciatus mitigant, menſes promovent.

TAB. 67.

Conſpeciem non habet hæc plantula, vocari poteſt: *Portulacæ foliis ſimilis planta, flore albo galeato & labiato, ſemine oblongo, rotundo, ruffo fuſco colore.*

Corósinam lat.

കൊരൊടുലൊന Mal.

Corósinam

गोरोचन bram.

عجار اجهنع Arab.



Purshia ciliata.

COROSINAM.

TABULA LXVIII.

PLantula humilis, ſpithamæ longitudinem vix excedens. *Radix* fibroſa, coloris crocei ſaturrimi, manum ex attactu rubore tingens, intus ligneo filamento. *Cauliculi* virides, rigidiuſculi, pilis longiuſculis denſe obſiti. *Folia* quæ cauliculos denſa ſerie inveſtiunt, geminata proveniunt & ſe mutuo decuſſantia, oblongo anguſta, valde craſſa ac piloſa, viroris in recta parte nonnihil nitentis, in adverſa ſurdi, *coſta*, rectam ſtrians, obducta. *Flores* monopetali ſunt, campani formes, candidi, quinque partiti, intus piloſi, in collo ab utraque parte rubro perſici coloris. *Stamina* in illis quatuor, craſſis albicantibus apicibus nodulata, pilis candidis barbatim veſtita: *Stilus* viridis eſt & imberbis; odor nullus. *Capſulæ ſeminales* in vaginulis florum piloſis ſuccedunt floribus deciduis; oblongæ rotundæ ſunt, nonnihil cuſpidatæ, lyris in longum ſtriatæ, in lyrarum tractibus interius ſutura eminente inſtructæ, ubi ſiccæ ſunt cortex cartilaginoſus eſt, albicans, ſcaber. *Semina* in illis continentur denſa ac minutiſſima, oblonga, una parte acuminata, & cum cuſpide ſtilulo medio plano ac membranaceo affixa, primùm viridia, dein flaveſcentia, tandem ſubrufa. Reſpirandi difficultas tollitur, ubi plantæ hujus *Succus* cum *Curcuma* præcordiis illinitur.

TAB. 68.

Planta hæc anomala eſt & ſui generis; ſine ullo, quod ſciam, congenere.

Pul-colli lat.

പുൽക്കൊല്ലി Mal.

Dadu-mari

दादुमार bram.

بوضحر قحاشي arab.



Justitia nasuta. L.

PUL-COLLI.

TABULA LXIX.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, *Pul-colli* & *Cátu-Pul-Colli.* Prior lingua Bramannum *Dadumári* vocatur, ſuffrutex eſt, ex genere virgultorum, altitudine trium quatuorve pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* lignoſa & fibroſa, cortice ſubflavo. *Stipites* ut & *rami* geniculati, teneriores virides, vetuſtiores cinerei, corculo intus albicante. *Folia* brevibus, viridibus, & interius planis proveniunt petiolis, oblonga, cuſpidata, tenuia, in adverſa parte maxime circa coſtulas villoſis pilis tenuiter obſita. *Coſta* media cum laterialibus utrimque eminet, maximè autem in adverſa parte. *Flores* in petiolis ramoſis qui in vertice emicant, vel ex geniculis ad latus ſtipitum erumpunt, plures congregati viſuntur, longiuſculi, virides, ſtriati, piloſi, anguſto collo, oblongo-anguſti, candidi, tetrapetali; horum tria magis uniformia ſunt, ac ad collum è transverſo alatim protenſa; medium paulò latius eſt, ac in una parte ad collum rubris punctulis conſperſum; quartum ex adverſo iſtius ſitum, anguſtiſſimum eſt, inſtar plumulæ criſtatim erectum, in apice bicuſpidatum. *Stamina* habent duo albicantia, orificio ſuperiori colli inſerta, rubro-fuſcis apicibus dotata; cum iis *ſtylus* albicans ſuperne bicuſpidatus ex *calycis* orificio emergit; qui parvus, viridi-fuſcus, ſublaxus, quinque folius; in quo clauſo unum reperitur *ſemen* oblongum, rotundum, ex cuſpide filamentum ejiciens albicans ac ruffeſcens. *Folia* lævigata impetiginem, pſoram ſcabiemque tollunt.

Nelipú lat.

നെല്ലിപൂ Mal.

نِلِّيْ بُوْ arab.



Utricularia caerulea. L.

NELIPU.

TABULA LXX.

UDo & paludoſo gaudet ſolo, præſertim ubi *Oryza* naſcitur, quam convolvuli inſtar, ſinuoſo caule amplectitur. *Radix* tenuis, albicans, ex brevibus capillatis conſtans fibris; unicum tantùm emittens *caulem*, in nullos alios ſe dividentem, qui rotundus, tenuis, viridis, nullis foliis veſtitus. *Flores* in caule hinc inde ſolitarii, petiolis planis, uncialibus, viridi dilutis, qui ad exortum parvo cuſpidato ſuccinguntur folio, proveniunt, cærulei, bipetali, difformes; illorum unum retiformiter cavum, cum orificio inferiora reſpiciens; alterum rotundum, ſurrectum, folio retiformi obverſum; quod retiforme cæruleum eſt, in fundo albicans, cæruleis purpuraſcentibus venis in longum ſtriatum; alterum in totum cæruleum purpuraſcens; cornu illius pendulum albicat & nitet, in cuſpide autem ex viridi cæruleſcit. *Stamina* in iis duo parva, albicantia, ſuperne cærulea, cornu inſerta, & in illius orificio foliis obtecta; cum illis ſe prodit *ſtylus* latus, craſſus, viridiuſculus, qui ſuperne nigricat ac nitet: flores præterea circa cornu & folium rotundum, duobus ſuffulciuntur foliis cuſpidatis, viridibus, cæruleſcentibus & purpuraſcentibus. Ex *planta* hac additis conſimilis energiæ nonnullis aliis potio præparatur, abdominis tumorem ex flatibus diminuens; in eundem finem ex illa ſola balneum conficitur capiti inunguendum.

TAB. 70.

Planta hæc eſt aquatica, ſine foliis; vocari poſſet *planta aquatica aphyllos repens, flore cæruleo difformi.*

Kotsjilétti-pullú lat.

കൊച്ചിലെത്തിപ്പുല്ല Mal.

Dadumari

दादूमारि bram.

[illegible] Arab.



Xyris indica. L.

KOTSJILETTI-PULLU.

TABULA LXXI.

NAſcitur in aquoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* ex radice oriuntur, angulati, viridi-fuſci, infra ad radicem albicantes & transparentes, angulis interdum ſpiratim contortis, tenues ſunt, rigidiuſculi, recti, intus aquei. Cum illis & *folia* proveniunt, oblonga, caules primùm amplectentia, lateribus clauſa, latitudine pollicem transverſum vix ſuperantia, craſſiola, viridia, interius nitentia, inferius aqueo albicantia, venis in longum ſtriata, aperturâ laterum ſuperne evaneſcente, ſaporis aquei. *Flores* in capitulis videntur oblongo-rotundis, rubro-ſpadiceis ac nitentibus, foliis imbricatis, & ſcutellatis, quæ aliquo modo rotunda & cochleato cava, obſiti, ex ſingulis illorum orificiis, brevi, plano, latiuſculo, rotundiolo petiolo erumpentes, primò ex inferioribus, dein ex ſuperioribus; ſuntque tripetali, unguiculis ſtrictioribus, ſinulis ceu crenulis nonnihil criſpati, coloris flavi, ac inſtar ſerici nitentis. *Stamina* in illis ſex, plana, tria latiora, apicibus oblongis, ſurrectis inſtructa, unguiculis foliorum inſerta, ſtaminulis denſe capillatis ſtipata: tria tenuiora, ex medio florum prodeuntia, tribus latioribus interpoſita, planis apicibus nodulata. *Gemma* ſeminalis, inter ſingula capituli cochleata folia, oblonga videtur, quæ interius plana, exterius convexa, ſuturis viridibus, uno in medio plani, duobus in convexiori latere, ſtriata, continetque in ſe numeroſa *ſemina*, per membranaceum corticem transparentia, parva, nonnihil oblonga, flava. Foliorum *ſuccus* cum *aceto* mixtus impetigini reſiſtit. *Folia* cum *radice oleo* incocta, contra lepram ſummutur; cum *Mungo* decocta & epota ſomnum conciliant.

TAB. 71.

Videtur hæc planta aliquam cum *Gladiolo paluſtri* habere communionem; flos enim æque ac illius tripetalus eſt. *Piſo lib.6. cap.56.* ſimilis plantæ dat delineationem, quæ apud Braſilianos *Jupucai* vocatur, cum exiguo tamen diſcrimine, aſt quoniam ipſius deſcriptio, ut & noſtri authoris, nullo modo ſit perfecta, non ulterius niſi ex delineatione judicare potui.

Min-angáni lat.

mal.

Matsjadáda

bram.

Arab.



Gomphrena hispida. L.

MIN-ANGAÑI.

TABULA LXXII.

LIngua Bramannum *Matsjadáda* vocatur, plantula eſt ſeſquicubitalis, arenoſo gaudens ſolo. *Radix* fibroſa, capillata, lignoſa, nigricans. *Caules* quadrangulati, geniculati, lignoſi, longiuſculis albicantibus pilis obſiti, in geniculis paſſim cauliculis lateralibus binis & ordine ſe decuſſantibus coronatim accincti. *Folia* in geniculis caulibus inſident bina, parva, oblongo-anguſta, in oris tenuiter crenata, tenuia, mollia, pilis raris veſtita. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminet. *Flores* numeroſi & congregati in capitulis oblongo rotundis, quæ caulibus inſident, ac foliis ſuccincta ſunt, proveniunt, ex cauliculis folioſis ac piloſis erumpentes, ſuntque minus piloſi, monopetali, quinque cuſpidati, candidi, dein cæruleſcentes. *Stilus* in medio adeſt in quo quinque *ſtaminula* conſpiciuntur minutiſſima, collulo interiori florum inſerta, apicibus, primùm albicantibus, flaviuſculis, ex in nigricantibus dotata. In ipſis gemmis flores clauſi ſunt, cuſpidati, viridiuſculi; illorum odor gravis ac male olens. In ſingulis tria quatuorve continentur *ſemina* parva, ex albo nigricantia. In *butyro* cum aliis antinephriticis concoquitur, & mente alienatis pro potu exhibetur.

TAB. 72.

Planta hæc anomala eſt ſine conſpecie, flos monopetalus, quinque partitus, quem delineatur non bene obſervavit, quadripartitum enim depinxit; vocari poteſt *Sideriti folio, caule piloſo, capitulo globoſo flore monopetalo, quinque partito, candido.*

Tsjéru-úren Lat.

ചെറുഉറൻ Mal.

جهرو وورين Arab.



Melochia corchorifolia. L.

TSJERU-UREN.

TABULA LXXIII.

PLanta eſt altitudine trium pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Rami* ex parte virides, ex parte rubeſcentes. *Folia* in ramis hinc inde proveniunt, oblonga, in oris acutè crenata. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. *Flores* plures congregati cacumini ramorum inſident, cyathiformes, monopetali, quinque partiti, venis in longum ſtriati, in quorum tractu roſacei ſunt coloris, inferius ad unguiculos flavi. *Stamina* in illis novem ſurrecta, flavis apicibus dotata cum breviori *ſtylo*. *Globuli* ſeminales virides, piloſi, dein ruffo-rubeſcentes, in vertice parum cuſpidati, quinque lacunoſis ſuturis, in quibus ſe relaxant, ſtriati. *Semina* in hiſce continentur quinque, ad ſingula latera inter ſuturas unum, interſepimentis, ſejuncta, trilateralia ſunt, uno exteriori rotundo, duobua planis. Integra planta, excepta radice, cum ſimilibus ejuſdem energiæ in *oleo* decoquitur, & efficax, pro morſu ſerpentis aquatici, remedium præſtat.

TAB. 73.

Diverſæ ejuſdem cognominis *Uren*; in hoc opere inveniuntur plantæ, quæ nullam tamen inter ſe habent convenientiam, & omnes plantæ ſunt anomalæ. Folia *Tsjeru-Uren* illis *Sideritis* aliquo modo aſſimilantur; vocari poteſt *Planta Sideritis folio inſipido, flore pentapetalo, roſacei coloris; fructu rotundo in quinque partes diviſo, ſemine triangulato.*



Iribeli lat.

mal.

arab.

कलवाळो bram

IRIBELI.

TABULA LXXIV.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, una ejus nominis dicta *Iribeli nigra*, altera *Ramacciam*, dicta *Iribeli alba*. Prior à Bramannibus *Carabalo* vocatur, & eſt plantula duum triumve pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* admodum fibroſa & capillata, tenue intus & lignoſum continens filamentum, cortice amaro, exſiccata coloris eſt cinereo-obſcuri, à quo ad differentiam *Ramacciam* ceu *Iribeli albæ*, nigra nominatur; odoris vegeti eſt & grati, *Iribelique albæ*, quæ minus odorifera eſt, præfertur; illa vero quæ in regno Rapolim invenitur, odoris præ cæteris eſt vegetioris, & maximi facitur; aſt quæ in promontorio Comorim non tanti. *Caules* cum cauliculis virides ſunt ac rubeſcentes, intus valde aquei & virides, raris pilis obſiti. *Folia* in petiolis longis, viridibus, languidis proveniunt, rotundiola ac parum oblonga, craſſa, aquea, mollia, lenia, rarioribus pilis obſita, viridi obſcura. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. Sapor aqueus eſt & amarus. Planta provectior facta caules emittit in quorum ſummitate *flores* ſpicatim proveniunt. Propagatur ex inſitione caulium, ſeriturque menſe Majo, imo & toto anno in arenis albicantibus diſſolutis, quò radices, ob odorem in mercaturis expetitæ, liberius ſe diffundant, quin ut odore vegetiori & abundantiores proveniant radices, indigenæ amputatos caules vaſe teſtaceo, plurimis in locis perforato & arenulis humidis repleto, quo radicum demiſſioni aditus pervius ſit, imponunt, atque ad hunc modum tria quatuorve vaſa cum ſuis inſitis caulibus ſibi mutuo ſuper imponunt, quæ tum, arenulis in cumulum congeſtis ex omni parte circumvallant. Septimo à ſatione menſe radices eximuntur. *Radix* in decoctis adhibetur anticacheticis, præſertim pro febre calida & ardore jecoris, ut & manuum ac pedum tumoribus, etiam pro flatibus; dolores capitis ſedat,

ſi trita cum lacte muliebri miſceatur & capiti inungatur: *oleum* cum aqua calida epotum febri calidæ medetur, ut & ardoni jecoris, plurimisque malis; ac non diſenteriæ purulenta materia permixtæ; habitum inſuper corrigit gravem & fætidum, prodeſtque in oculorum doloribus. *Oleum* ex radice per deſtillationem extractum, primùm turbidum eſt ac nigricans, dein, fæce albicante ceu cinerea ad fundum demiſſa, clarum & transparens, pulchre rubeſcens & rutilans, odoris pergrati, ſaporis ſubacris, in deſtillatione ſimul cum aqua aſcendens eique innatans.

TAB. 74.

Multa, in deſcriptione & delineatione hujus plantæ, deſunt, atque ideo de illa certi quid vix dici poteſt.



Perim-munja lat.

[illegible] Mal.

Nára-valú

नरवला bram.

[illegible] Arab.

PERIM-MUNJA.

TABULA LXXV.

ARenoſa amat. *Rami* rotundi, virides, parum lignoſi & glabri. *Folia* in petiolis oblongis, rotundis, tenuibus proveniunt, ad exortum duobus parvis anguſtiſſimis foliolis comitata, ſuntque oblonga, ad petiolum lato ac rotundo ambitu, anterius anguſtiora, in cuſpidem ſtricta, in oris ſerrata, tenuia ſcabra, odoris grati. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte extuberant, etiam in recta, ſed non tam alte. *Flores* nulli ſunt. *Folia* cum *Calamo aromatico* & *Allio* in aqua *oryzæ* trita linimentum præſtant antiſpaſmodicum, quod tantò efficacius, ſi *radicis* pulveriſatus *cortex* cum *orizæ* lotura *butyroque* indies aſſumatur.

TAB. 75.


Flores quoniam hic deſint ut & fructus, incertum eſt ad quod genus planta hæc referri debeat. Folia aſſimilantur illis *Lamii*.

Tardável lat.

താൎതാവെൽ Mal.

[illegible] Arab.

[illegible] bram.



Spermacoce scabra W.

TARDAVEL.

TABULA LXXVI.

PLanta humilis eſt, arenoſo gaudens ſolo. *Radix* ruffa, fibroſa, intus lignoſa. *Caules* quadrangulati, nodoſi, piloſi, virides, dein rubeſcentes, adulti rufeſcentes, exſiccati cinerei. *Folia* bina & bina ſe mutuo decuſſant, caules in nodis inveſtiunt, parva ſunt, oblonga, craſſiola, ridigiuſcula, criſpa, piloſa, ſubaſpera, maximè in margine, in adverſa parte *coſta* & *coſtulis* ſtriata, fuſca. *Flores* in ſurculis ſupra ex origine foliorum quatuor, ſex, etiam bini & terni proveniunt, purpureo-pallidi, tetrapetali, cuſpidati, nonnihil piloſi, venulis in longum ſtriati, odoris expertes. *Stamina* in illis quatuor albicantia, apicibus ſurrectis, atque ex viridi cæruleſcentibus ceu purpuraſcentibus; *ſtylus* longiuſculus eſt, albicans, in vertice bifurcatus. *Calyx* quadrufolius eſt, exterius piloſus. *Capſulæ* ſeminales oblongæ, rotundæ, craſſiolæ ac piloſæ, coloris perſici, ſuntque primùm ipſiſſimi florum petioli; in ſingulis ſemina continentur duo oblonga, tenui membranaceo interſepimento ſejuncta, ex una parte convexa, altera plana, ſulcata, coloris ruffo fuſci. *Succus* expreſſus cum *Butyro* decoctus *lienteriæ* prodeſt. *Radix* antidotum eſt, ſi trita pectus cum illa illinatur; qui humor in pectore remanens nulla veneni eſt ſuſpicio, ſin, certiſſimum eſt ſignum venenum ſubeſſe.

TAB. 76.

Delineator caules non bene effigiavit, quadrangulati enim ſunt, ille vero rotundos depinxit.



Mimosa Entada. L.

ENTADA.

TABULA LXXVII.

SUffrutex eſt, naſcens in arenoſis. *Rami* virides, rotundi, lignoſi, rigidi, ſtriati, cum ſurculis quos diffundunt, undiquaque foliolis parvis, viridibus, anguſtiſſimis, cuſpidatis, rigidis veſtiti, quæ ſe in ramis majoribus verſus inferiora reflectunt: rami cum foliis virorem longe ſervant. *Flores* capitula ſunt oblonga ex foliorum imitatione penniformia, viridi albicantia, ſurculorum cacumini inſidentia.

TAB. 77.

Imperfecta hujus plantæ deſcriptio in cauſa eſt quare non rectè poſſit agnoſci. Floſculi qui in ſpicas proveniunt, ſecundum delineationem, pentapetali ſunt, ſtaminibus in medio dotati, ſed quæ forma ſit ſeminnm vel capſularum ſeminalium, de illis ne γρῦ quidem.

Polá-tsjirá lat.

പൊളച്ചീര Mal.

Taraní

तरनी bram.

بقلا جرع Arab.



Bergia verticillata. W.

POLA-TSJIRA.

TABULA LXXVIII.

T*Sjira* ſpecies eſt & planta aquatica. *Radices* ex plurimis & quidem albis conſtant fibris, pedes caulium, quibus ſuper terram repit in geniculis circumveſtientes. *Caules* rotundi, craſſioli, verſus cuſpidem ſenſim ſtrictiores, viridi-clari, nitentes, aquei, fungoſi, venis transparentibus & paralellis ſtriati, geniculati, internodiis ſenſim ſe verſus apicem minuentibus, ex pedibus novos caules ejicientes, intus interſepimentis, quæ ex ſtylo medio, tenui, plano, ruffo-rubro exeunt & cortici exteriori ſe affigunt, in fiſtulaceos tubulos deſtincti. *Folia* caules alatim in geniculis geminata circumveſtiunt, oblongo-anguſta, cuſpidatis acutis denticulis ordinate ſerrata, lenia, glabra, viridi nitentia. *Coſta* media in adverſa parte eminet. *Flores* plures congregati in geniculis ſupra exortum foliorum prodeunt, caulibus arcte inſidentes, parvi, pentapetali, albo aquei, ſtelliformes, quinque ſubviridibus foliis cuſpidatis ſuccincti. *Stamina* in illis decem albicantia, gemmulis flaviuſculis nodulata, globulum medium viridem amplectentia. *Globuli* ſeminales ſubrubri, quinque ſuturis ſtriati, inferius quinque viridibus, cuſpidatis foliis excepti. *Semina* in illis numeroſa, parva, primum albicantia, dein ex albicante rubeſcentia.

TAB. 78.

Planta hæc eſt aquatica, vocari poteſt; *Sideriti folio Indica, paluſtris, caule fiſtuloſo, flore pentapetalo ſubviridi, ſemine minutiſſimo, ex albo ruffeſcente.*


Peê-tardável Lat.

പെ താർതാലെൽ Mal.

بجهٔ طارْقنا وهل Arab.



Achyranthes prostrata L. 2



PEE-TARDAVEL.

TABULA LXXIX.

PLanta hæc arenoſa amat. *Radix* albicans, fibroſa, ſubflaveſcens, intus lignoſa. *Stipites* nonnihil tortuoſi ac cymis inflexi; viridi & hinc inde ſubrubeſcente cortice, ſuperiores rami virides, ſpiculis brevibus, aſperis, ſparſim obſiti, ad cymas turgeſcentes, veniſque ſtriati. *Folia*, cum ſuis brevibus, interius planis, petiolis, in ramis proveniunt, rotundiola, parum oblonga, tenuia, mollia, lenia. *Coſtula* media etiam in vertice eminet. *Flores* in capitulis globoſis ſpicatis, faſtigiis ramorum inſident, ceu etiam ad latera hinc inde adhærent, ſuntque oblongæ, cuſpidatæ ſpicæ, pentapetali, candicantes, tranſparentes, ſemivirides, in medio cuſpidum viridi-fuſca vena ſtriati. *Stamina* in illis quinque, oblonga, albicantia, ſurrecta, purpureo-rubris gemmulis nodulata; *Stylus* ſuperne purpureo-ruber, ex gemmula viridi albicante emergens. *Flores* præterea ceu ſpicæ tribus cuſpidatis viridiuſculis foliolis, quæ in filamenta oblonga & criſpata deſinunt, ſuccinguntur, odoris expertes; florum ſeminibus excuſſis, ſpicæ apertæ ſe claudunt, gemmulam ceu capſulam oblongam ſeminalem intra ſe recondentes, quæ in vertice filamento oblongo eſt dotata; in ſingulis ſpicis, intra propriam capſulam membranaceam *ſemen* unicum includitur parvum, lateribus utrinque convexis, quæ in oram angulatam coëunt, coloris atri & nitentis. Incantatis opitulatur hæc planta.

TAB. 79.

Pee-Tardavel nullam habet convenientiam cum *Tardavel* jam antea deſcripta; & planta ſui generis eſt, ſine conſpecie.

Kátu-tálij lat.

കാട്ടുതാളി Mal.

قحآلو طقلي arab.



KALU-TALI.

TABULA LXXX.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* aquei, rotundi, rubeſcentes, pilis hirſutis aſperi. *Folia* oblonga, anterius cuſpidata, uno latere inferius latius ex porrecto, ac rotundioris ambitus, pilis hirſutis, qui aſperitatem inducunt, obſita, viroris ſaturi, ſuntque foliis *Neriàm-pulli* ſimilia. *Flores* in petiolis ſupra exortum foliorum prodeunt plures congregati, pedunculis breviſſimis inſidentes, ſuntque in gemmis virides, cuſpidati & angulati, ex una parte inferius in alam ſtricti; aperti bipetali ſunt, in æquales, rubro purpurei, gemmula ex qua folia prodeunt, conſtantes. *Calyx* cui gemmula inſidet quinque folius eſt, cuſpidatus, viridis. *Fructus* non fert. Calidam cephalalgiam compeſcit fotus ex hoc frutice præparatus.

TAB. 80.

Kalu-Tali hic deſcribitur ut planta hirſuta & piloſa, id quod delineator non bene expreſſit.

Ené-páel lat.

എഞ്ഞെപ്പാല Mal.

جِنَا يَڠْبَلَه Arab.



p

Rotala verticillaris. L.

ENE-PAEL.

TABULA LXXXI.

HUmilis eſt planta arenoſo humidoque gaudens ſolo. *Caules* tenues, rotundi, geniculati, virides, in geniculis octo *foliis* oblongo-anguſtis, cuſpidatis, rigidiuſculis, ſtelliformiter expanſis, ac cum cuſpidibus verſus pedem caulium inflectis verticillatim cincti. Caules folioſi ex geniculis geminati prodeunt; ad ſingulos geniculos ſuper folia quatuor *gemmæ* rotundiolæ, viridi-albicantes caulibus adhærent. *Butyro* recenti commixta abſceſſus hæc planta ad maturitatem perducit.

TAB. 81.

Imperfecta hujus plantæ deſcriptio in cauſa eſt, quare nihil certi de ipſa poſſit affirmari; quoad externam phaſin inter ſpecies *Rubiæ* referrem.

Nélam-múri lat

നിലമ്മുരി Mal.

ſingári

रेरीगरा bram.

نيلا موضح Arab.



Hedysarum diphyllum. L.

NELAM-MARI.

TABULA LXXXII.

PLanta humilis eſt, ſurculis in latum diffuſis, arenoſo gaudens fundo. *Radix* albicans, fibroſa & lignoſa. *Stipites* in plures ſparguntur ſurculos virides & dein rubeſcentes. *Folia* in ſurculis hinc inde in brevibus, tenuibus, viridibus petiolis, bina & bina proveniunt, anterius converſa, oblongo-rotundo-anguſta, parum cuſpidata, craſſiuſcula, denſa, plana, lenia, viroris in recta parte fuſci, in adverſa clari, punctulis viridi-fuſcioribus interſperſi; *Coſta* media in adverſa parte altùm eminet, rectam ſtrians. *Flores* in propriis videntur petiolis, qui paſſim ad exortum petiolorum foliaceorum erumpunt, ſuntque in illis ſeriatim conſiti, ex calicibus ſurrectis emicantes, bipetali, ſibi mutuo accumbentes. *Globuli* ex ſingulis calicibus proveniunt plani, viridiuſculi, parum oblongi, tres quatuorve in una ſerie, viridi fuſco filamento fimbriæ annexi, pilis longiuſculis obſiti, cortice rigidiuſculo, unicum ſinguli continentes *ſemen*, rotundum, nonnihil oblongum, primùm viride & nitens, dein nigricans. Apozema ex hac planta pro algidis præparatur febribus.

TAB. 82.

In ſæpius jam memorato Herbario vivo Ceylanico, ſimilis farinæ plantam invenio ſub nomine *Plantæ bifoliæ humirepæ, Arifolio, floſculis aureis, villoſis, articulatis*; ſecundum deſcriptionem tamen, aliquod videtur intercedere diſcrimen.

Mallam-tsjulli lat.



MALLAM-TSJULLI.

TABULA LXXXIII.

PLanta humilis eſt, arenoſa amans. *Radix* albicans, fibroſa. *Rami* lignoſi, tenues, virides. *Folia* in petiolis viridibus, ac ferme pollicem transverſum longis, qui ad exortum duobus valde brevibus oblongo-anguſtis ſuccinguntur foliis, geminata proveniunt, oblongo-rotunda, anguſta, tenuia, nervis perducta, viroris ſaturi & obſcuri. De viribus nihil conſtat.

TAB. 83.

Cum præcedenti plantula hæc *Mallam-Tsjulli* videtur aliquo modo convenire, ſed imperfecta deſcriptio facit; ut non niſi conjecturando de illa judicari poſſit.

Béli-tsjira lat.

വെളള ചീര *mal.*

بهلي جيرا *arab.*



BELI-TSJIRA.

TABULA LXXXIV.

NAſcitur in arenoſis & umbroſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules*, qui ex radice plures proveniunt, late ſuper terram expanduntur, craſſi ſunt & geniculati, ex geniculis novos caules ejicientes, aquei, viridi-diluti, nitentes, & ex parte rubeſcentes. *Folia* geniculis caulium geminata inſident, oblongo-rotunda, anguſta, in vertice obtuſe cuſpidata, tenuia, lenia, mollia, viroris in recta parte fuſcioris, in adverſa dilutioris, ubi *coſta* media eminet. *Flores* congregati ſeptem, octo, novem, ſupra ex origine foliorum proveniunt, virides, cyathiformes, in orificio quadrangulati, tetrapetali, in ſingulis oræ angulis viridi cuſpide eminentes. *Fructus* fert nullos. Balneum ex hac planta conficitur alexicacum adverſus omnigenorum ſerpentum virus. *Folia* cum ſucco corticis *Lanjæ* levigata illitaque, carbunculis, phlegmonique medentur.

TAB. 84.

Si de capſulis ſeminalibus & ſeminibus hujus plantæ certi quid conſtaret, de illa ex æquo quid judicari poſſet; aſt quoniam illa deſunt, peritioribus lubens relinquo.

Tsjería-mánga-nári lat.

ചെറിയമങ്ങനാറി Mal.

amulí

आबुली *bram.*

چهرياءمانغناري *arab.*



Gratiola trifida. W.

TSJERIA-MANGA-NARI.

TABULA LXXXV.

ARenoſa amat. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* triangulati, virides, intus aquei. *Folia*, quæ caulibus inſident, oblonga, cuſpidata, in oris angulis acutis ſerrata, tenuia, lenia, in adverſa parte coſtis eminentibus obſita, nullius ſaporis. *Flores*, qui in petiolis oblongis ſupra exortum foliorum, in cacumine caulium erumpunt, cærulei ſunt, monopetali, tripartiti. *Stylus* itidem cæruleus eſt capitulo rigidiuſculo. *Calyx* laxus, quinque folius. Linimentum ex hac planta atque *Oleo* Nucis Indicæ confectum, elephantiacis opitulatur. *Succus* cum *Zinzibere* & *Cumino* exhibitus, vel etiam cum *Oleo Sergelim* & *Calamo Aromatico* corpori illitus, ſummopere in peſtilentiali conducit febre.

TAB. 85.

Vocari poſſet hæc planta *Alſina ſpuria*, ſeu *Veronica Indica*, *flore cæruleo*, *Chamædri folio*; quia omnes in illa exhibentur notæ characteriſticæ, quæ ex delineatione magis quam ex deſcriptione apparent.

Pars 9 Tab. 86.



Begonia malabarica. Lam.

TSJERIA-NARINAMPULI.


TABULA LXXXVI.

NAſcitur in arenoſis & petroſis. *Radix* aquea, carnoſa, albo-ruffeſcens, fibris denſis veſtita, ſaporis aquei & ſubamari. *Caules* rotundi, languidi, carnoſi, aquei, fuſcè rubeſcentes, nodulis turgeſcentes, vetuſtiores ſpadicei, pilis longiuſculis, raris ſparſim obducti, ſubaſperi, ſaporis acidi. *Folia* pedunculis craſſiolis, rubeſcentibus, qui parvis, cuſpidatis, albicantibus, membranaceis foliolis ad exortum ſuccinguntur, proveniunt, oblonga, in cuſpidem deſinentia, uno latere latiori, ac ad petiolum verſus inferiora longius exporrecto, quo ex petiolo annulari ductu excurrunt; ſuntque in oris crenata, mollia, in recta & adverſa parte, in qua *Coſtulæ* eminent, quæ etiam rectam ſtriant, pilis hirſutis, longiuſculis albicantibus obſita, nonnihil aſpera, viroris floridi & nitentis. *Flores* in petiolis fuſce rubeſcentibus qui ſupra exortum foliorum erumpunt, bini vel terni in unoquoque videntur petiolo, tripetali, candidi, ſcintillantes, pilis longiuſculis ſparſim obſiti, ex arcto *calycis* orificio erumpentes, qui oblongus eſt & triangulatus, angulis alatim expanſis, in alarum interſtitiis, vena rubra ſtriatus, ut & in alarum lateribus. *Penicillus* ex floris orificio emicat trifidus, cujus ſingula portio iterum bipartita, ac globulo viridi inſtructa. *Gemmæ* florum rotundiolæ, parum oblongæ, complanatæ, exterius piloſæ. Præter hoſce etiam flores habet tetrapetalos, ſine calyce in quorum medio *ſtylus*, ſtamunculis, quæ flavis ſunt inſtructa nodulis, penicillatim circumdatus. *Baccæ* in ſingulis alarum calycis lateribus, circa medios illorum angulos, ubi alæ albeſcunt, inveniuntur copioſiſſimæ, membrana calycis obtectæ, & in illis copioſiſſima arenacea, primum albicantia, dein rubeſcentia *Semina*. Indigenæ hac planta, excepta radice, utuntur in concoctione *Caril.*

Folia oleo incocta, linimentum ſuppeditant vulnerarium: ex iiſdem calefactis, addito *Sale* fit nodulus, pro putridis purulentiſque inſerviens dentibus.

Tab. 86.

Pertinet hæc planta inter herbas bacciferas, & meo judicio nominari poteſt, *Solani affinis Malabarica, flore & baccis rubeſcentibus.*



Achimenes sesamoides. Vahl

BAHEL-TSJULLI.

TABULA LXXXVII.

PLantula eſt naſcens in ſulcis agrorum, duum pedum plus minus altitudine. *Radix* oblonga, albicans, fibris veſtita. *Caules* digiti craſſitie; *Surculi* quadrangulati & geniculati, in internodiis alternato ordine plani, ſulco ſtriati, *cortice* glabro & viridi. *Folia* in geniculis, ſupra plana internodii latera, geminata prodeunt, ordine ſe mutuo decuſſantia, ſurculis inſidentia, oblongo-anguſta, in oris cuſpidibus crenata, ſpiſſa & mollia. *Coſta* media in adverſa parte altum eminet, laterales nonnihil, quæ ad oras delatæ evaneſcunt. *Flores* plures congregati in cacumine ſurculorum proveniunt, in ſingulis geniculis gemini, ſupra ex lateribus planis, ordine decuſſato, brevi, craſſo, ſurrecto, viridi-diluto, appendentes petiolo, qui parvo, cuſpidato, viridi ſuccingitur folio; tetrapetali ſunt, rotundioli, exteriora verſus inflexi, cum collo brevibus pilis capillati, ceu lanuginoſi; coloris perſico rubri; petalorum unum oblongius eſt, & interius perſici dilutioris, exterius cum collo albeſcens; alterum huic oppoſitum brevius & latius, ejuſdem coloris, ſed magis ſaturi, exterius perſico ſanguinei, ut & in collo, quod ad partem folii oblongioris, intus venis ſtriatur purpureo-rubris. In collo quatuor conſpiciuntur *ſtamina* candida; illorum duo arcuata ſunt & velut roſa cærulea, in medio arcta & ſtricta, quæ folio latiori accumbit; duobus veluti brachiolis incurvis, quorum extrema in latum ac plane purpureum deſinunt nodum, ſe mutuo obverſa, paulo infra brachii nodos collo aſſuta; reliqua duo ex medio collo à latere folii latioris, ac paulò inferius emicant, ad folium latius accumbentia, ſurrecta, arcuata, verſus ſe invicem inflexa, ac roſa cærulea adſtricta; per quorum inſertionem ad folii latioris interſtitia, albicans in collo tractus ſe ſignat. *Stylus* ex umbilico colli florum exſurgit candidus, in vertice

biſidus, folio latiori arcte accumbens, cum ſtaminibus arcuatis roſam amplectens. *Calyx* quinquefolius eſt, cuſpidatus oblongus, craſſiolus. In *Gemmis* ſupra folium oblongum, folia quæ ei ad latera conſident, convoluta jacent, & ſupra ea folium latius, ſuntque quo ad maximam illorum partem, purpureo fuſcæ, ad folii oblongi partem albicantes. *Gemmæ* ſeminales grandiuſculæ, rotundæ, virides, calyci late explanato arcte inſidentes, in vertice filamento ruffo dotatæ, vel illo deciduo, cuſpide parvo, duriolo, acuto, per verticem ſubtili ſulcoſa ſutura ſtriati, qua relaxata in duas ſe aperiunt partes: cortex rigidiuſculus & cartilagineus evadit: *Semina* in illis conſident numeroſa, minutiſſima, nonnihil oblonga, globuli medii rotundi, qui viridis ac intus humidus eſt, ſuperficiem obſidentia, primùm candidiſſima imo ſcintillantia, dein ruffa; globulus ille medius interſepimento cingitur annulari, viridi-albicante ac tranſparente, ex ſtylo prodiens, & ſuturæ mediæ gemmæ ſe annectens; annulus proximè ad verticem globuli hiatu intermedio ſemper apertus eſt. Notandum præterea quod gemmæ hæ ſeminales, flores, qui in ſurculis inferiores ſunt ſubſequantur, dum adhuc ex ſurculorum vertice flores novelli producuntur. *Folia* trita & in formam cataplaſmatis uſurpata abſceſſus maturant. Ex *radice* abluendis capitis ſordibus, cephalicum præparatur lixivium.

Tab. 87.

Plantam hanc ego nominarem *Digitalis affinis Indica, Blattariæ folio, flore rubicundo.*

FINIS

I N D E X

Prior numerus paginam, poſterior tabulam deſignat.

A.

ADa-Kodien. 9-7
Adel-Odagam. 81-43
Aria-Veela. 41-23

B.

Bahel-Tsjulli. 171-89
Beli-Tsjera. 165-84
Belutta-Areli. 3-2
Belutta-Kaka-Kodi. 7-5. 6
Belutta-Onapu. 99-51

C.

Car-Elu. 107-55
Cara-Carinam. 109-56
Cara-Veela. 43-24
Coletta-Veetla. 77-41
Coroſinam. 133-68
Cupa-Vela. 61-33

E.

Ene-Páel. 159-81
Entada. 151-77

F.

Fula-Meſtica-Incarnata. 1-1
Fula-Meſtica-Alba. 3-2

I.

Iribeli. 145-74

K.

Kaka-Kodi. 11-8
Kaka-Pu. 103-53
Kalu Tali. 157-80
Kametti-Valli. 23-14
Kalu-Polapen. 129-66
Katu-Karavi. 83-44
Katu-Pal-Valli. 17-11
Katu-Pee-Tsjanga-Puſpam. 113-85
Katu-Viſtna-Klandi. 119-61
Kattu-Tagera. 55-30
Koda-Tsjeri. 131-67
Kondam-Palu. 57-31
Kotsjiletti-Pullu. 139-71

M.

Man-Onapu. 95-50
Man-Todda-Vaddi. 39-22
Manja-Kurini. 121-62
Malam-Todda-Vaddi. 37-21
Mallam-Tsjulli. 163-83
Manneli. 69-38
Min-Angani. 141-72

N.

Nansjera-Patsja. 21-13
Nelam-Muri. 161-82
Nelem-Pala. 5-34
Nelem-Parenda. 117-60
Neli-Pu. 137-70
Neli-Tali. 31-18
Nellia-Tandali-Cotti. 49-27
Njota-Njodem-Valli. 27-16
Nir-Murri. 59-32
Nir-Pullari. 67-36
Niti-Todda-Vaddi. 35-10
Nottenga. 101-52

O.

Onapu. 89-47

P.

Pal-Valli. 19-12
Parparam. 29-17
Pee-Tandale-Cotti. 53-29
Pee-Tardavel. 155-79
Pee-Tsjanga-Pulpam. 115-59
Pee-Tumba. 87-46
Perim-Munja. 147-75
Pola-Tsjira. 153-78
Pul-Colli. 135-69

S.

Schit-Elu. 105-54
Soneri-Ila. 127-65
Suendudi-Pullu. 75-40

T.

Tali-Pullu. 123-63
Tandale-Cotti. 45-25
Tandale-Cotti. 47-
Tardavel. 149-76
Tilo-Onapu. 101-52
Todda-Vaddi. 33-19
Tsjanga-Pulpam. 111-58
Tsjera-Uren. 143-73
Tsjeria-Manga-Nari. 167-85
Tsjeria-Narinam-Pulli. 169-86
Tsjeria-Onapu. 93-49
Tsjeru-Manneli. 73-39
Tsjeru-Vela. 63-34
Tsjeru-Urem. 143-73
Tsjovanna-Aleri. 1-1
Tsjovanni-Manneli. 71-38

V.

Vada-Kodi. 79-42
Valli-Onapu. 91-48
Valli-Upu-Dali. 85-45
Vallia-Capo-Molago. 65-35
Upu-Dali. 125-64

W.

Wallia-Pal-Valli. 15-10
Watta-Kaka-Codi. 25-15
Wellia-Tandali-Kotti. 51-28

HORTI MALABARICI
PARS DECIMA,
DE
HERBIS
ET DIVERSIS ILLARUM
SPECIEBUS

Latinis, Malabaricis, Arabicis, Brachmannum characteribus nominibuſque expreſſis,

Adjecta Florum, Fructuum, Seminumqne nativæ magnitudinis vera delineatione, colorum viriumque accurata deſcriptione,

ADORNATA

Per Nobiliſſimum ac Generoſiſſimum D. D.

HENRICUM VAN RHEDE TOT DRAKESTEIN,

Toparcham in Mydrecht, quondam Malabarici Regni Gubernatorem, ſupremi Conſeſſus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium, nunc vero Equeſtris Ordinis nomine Illuſtribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adſcriptum,

In ordinem redegit & latinitate donavit

ABRAHAMUS A POOT M.D.

Notis adauxit, & Commentariis illuſtravit

JOANNES COMMELINUS.

Reipublicæ Amſtelodamenſis Senator, ac Horti Medici præfectus.



AMSTELÆDAMI.

Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM.

Anno cIↄ Iↄc XC.

Generoſiſſimo ac Nobiliſſimo

VIRO

D. HENRICO de UTENHOVE,

Domino de Ameliswaert, in Munnikenland, &c. Ordinibus Equeſtris Dignitatis Trajectinæ Dioceſæos adſcripto; Tribuno militari, nec non Civitatis Sylvæ Ducenſis Vicegubernatori.

VEram amicitiam nec locorum nec temporum longinquitas dirimit. Cujus rei mihi teſtis ſum: nec de Te me ſinit dubitare Tua in amandis amicis conſtantia. Cum igitur noſtros animos non ſolum generis propinquitas, ſed & collegii in republica noſtra adminiſtranda conſortium, & amicitia mutuis officiis utrimque ſumma fide & religione culta dudum devinxerint arctiſſime, nuſquam non illius memoria, etiam in remotiſſimis terris & alio ſole calentibus, in quas publice ablegatus ſum, mihi eſt ſanctiſſima. Equidem apud ipſos antipodes jucundiſſima illius recordatione ſæpius animum paſco. Semper enim Tui imago mihi obverſatur, qua tædia longiſſimi & moleſtiſſimi itineris, & curas duræ, quam mihi paſſus ſum imponi boni publici cauſa, provinciæ diluo. Hujus ſingularis perpetuique mei in Te ſtudii pignus mitto Tibi horti mei Ma-

laba-

labarici, in quo colendo tantum operæ temporiſque poſui, ut homines elegantiores, qui exquiſitisſimarum deliciarum naturalium, quæ noſtro Orbi adhuc fuerunt ignotæ & inviſæ, obligarem, ſtudio tenentur, tomum decimum. Quem a Nepote noſtro, Amico & Collega Generoſisſimo ac Nobilisſimo D. Domino de Zuylen &c. precatus ſum tibi nuncupandum fore. Nullus dubito quin hoc munuſculum Tibi pro mutuo Tuo in me amore, tot argumentis illuſtribus mihi teſtatisſimo, non ingratum ſit venturum. Accepta enim ſunt, quæ ab amicis peregre degentibus ſolent mitti, licet non ſint magnæ rei. Deum veneror, ut Te Tuamque domum diutisſime ſervet incolumem, utque, ſi hac legatione feliciter fuero defunctus, Te ſalvum valentemque eſſe ſoſpes ipſe complectar. Interea velim Tibi perſuadeas, me ubique gentium & locorum

Generoſiſſimo Tuo Nomini

Addictiſſimum eſſe

HENRICUS van RHEDE.

Sjasmin lat.



Pentapetes phoenicea L.

HORTI MALABARICI PARS DECIMA, DE HERBIS ET DIVERSIS ILLARUM SPECIEBUS.

SJASMIN.

TABULA I.

HUjus Plantæ *Rami* rotundi, viridi fuſci, piloſi, lignoſi, corculo viridi, humido, in medio inſtructi. *Folia* in pedunculis brevibus, rotundis, viridi-fuſcis, piloſis proveniunt, formâ oblongi cuſpidati cordis, ſerrata, tenuiter piloſa, ſubaſpera, ex una parte viridi ſatura & nitentia, in alia dilutioris ac ſurdi, ut illa *Belluren*; *coſta* in medio cum duabus laterialibus inſtructa, ſaporis ac odoris nullius. *Flores* in petiolis oblongis, rotundis, valde piloſis, viridibus, ſupra exortum foliorum erumpunt bini, terni, imo plures congregati, pentapetali, in planum expanſi, incarnati ſaturi, ad miniatum vergentes, interius ad umbilicum & in exteriori petalorum ſuperficie, nitentes. *Stylus* è medio umbilico exſurgens incarnatus eſt, in diſtinctis intervallis, *ſtamunculis* brevibus, tenuiſſimis, rubris, quorum *apices*

flavi, circumdatus, ſuperne *penicillo* quinque rubrorum filamentorum, quæ rubro-purpureis *gemmulis* dotata ſunt, exornatus; *Calice* excipiuntur piloſo, quinque oblongorum cuſpidatorum foliorum, quæ florem proximè cingunt, & quinque vel ſeptem anguſtiorum, viridi fuſcorum & minus oblongorum, ſine ullo odore. *Gemmæ* conicæ ſunt ac rubeſcentes. Floribus ſuccedunt *globuli* virides, breviſſimis pilis obſiti, quinque ſuturis ad verticem ſtriati. *Semina* in illis plus minus quindecim, interſepimentis, quæ ex partibus inter ſuturas intermedias, ubi globuli viridi-fuſciores excurrunt, a ſe mutuo ſejuncta, in uno quoque loculo duo continentur, quorum unum inferius ſitum eſt; oblonga, trilatera, exteriori latere convexo, interioribus planis, primùm albicantia & argentea lanugine obſita; exin inſtar atramenti nigricantia & alba oblongiuſcula lanugine veſtita.

TAB. I.

Sjasmin genuina ſpecies eſt *Blattariæ*, atque ideo nomen dedi *Blattariæ Indicæ Urticæ folio piloſo, flore amplo miniato*, differt à *Blattaria Ceylanica flore amplo miniato*, reſpectu foliorum, quæ magis incisa, id quod in hac noſtra non ita, cujus folia in margine tantum ſunt crenata.



Urena sinuata L.

UREN.

TABULA II.

UREn plures ſunt ſpecies; hæc lingua Bramannum *Tupu-Kadu* dicitur, naſcens in arenoſis, altitudine trium quatuorve pedum. *Radix* lignoſa, in latum ſe ſpargens, *cortice* ſubflavo. *Stipites* ac *rami* cortice viridi ac longiuſculis albicantibus pilis obſiti. *Folia*, quorum petioli rotundi, longiuſculi, piloſi, ſubaſperi, ſurculis comitantur novellis, qui teneris foliis veſtiuntur; ſuntque paſſim in tres vel quinque lacinias inciſa, tenera non item, in oris crenata, in ſuperficie pilis obſita ac parum aſpera, contexturâ craſſiola, viroris fuſci, ſaporis ſubacris. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. *Flores* in brevibus proveniunt petiolis, & quidem ſupra ex origine foliorum, pentapetali, coloris roſacei, ad unguiculos intenſioris, præ tenuitate transparentes, venulis in longum ſtriati. *Stylus* craſſiolus, rotundus, roſaceo dilutus ac parum inflexus, in ipſo vertice in plura tenuia ac brevia albicantia filamenta fiſſus, & ſub vertice nodulis gemmeis rubris hinc inde cinctus, ex unguiculis foliorum pede craſſo erumpens. *Calyx* quinque folius eſt, viridi dilutus, quinque foliis anguſtioribus, viridi fuſcis in orbem amictus. In fundo *Capitulum* reſidet, viride, primordium fructus, in vertice *gemma* albicante, in quam quinque ſtriæ incurrunt, inſtructus, *filamentum* ejiciens albicans, quod per ſtylum tanquam thecam transmittitur. *Fructus* capitula ſunt plano rotunda, in quinque rotunda latera per intermedias ſtrias diſtincta, ſpiculis longiuſculis obducta, qui poſtea rigeſcunt & aculeati ſunt. *Semen* in ſingulis lateribus continetur unicum, triangulare, duobus lateribus planis & uno rotundo, ad maturitatem perductum nigricat. *Radix* in confectione olei adhibetur.

Tab. 2.

Nomen *Uren* apud Malabarienſes multis plantis familiare eſt, quæ nullam omnino inter ſe habent convenientiam; & præſens hæc pertinet inter genera *Alceæ*, atque ideo à me vocatur *Alcea Malabarica folio vitis, flore minore, roſaceo colore, fructu lappaceo, ſemine roſtrato.*

Velútta-jtti-Cánni lat.

വെളുത്ത ഇത്തി കണ്ണി *Mal.*

[illegible] *Arab.*



Loranthus elasticus Lam.

VALLI-ITTI-CANNI.

TABULA III.

PLanta eſt naſcens in arboribus altitudine duum plus minus cubitorum. *Radix* qua arbori ſe affigit inſtar rotundi eſt nodi, *cortice* craſſo, ruffofuſco ſcabro, interius albicante & lignoſo, ſaporis aſtringentis. *Stipites* qui ex radice plures exſurgunt cum ſuis ramis cortice fuſco, novelli viridi. *Folia* quæ in ſtipitibus ramiſque, breviſſimis ceu nullis petiolis, paſſim bina nodis inſident, vel etiam ſolitaria extra nodos, oblonga ſunt, ima parte rotunda & oris rotundis, ac ibi albicante nervo circumdata, in cuſpidem anterius contracta, texturâ craſſa, denſa & ſolida. *Coſta* media in utraque parte eminet, valde craſſa, in adverſa rubri ac nitentis coloris. *Flores* hinc inde in ſurculis proveniunt, novem, decem congregati, ordine bini & bini, oblongo-rotundo conſtant collo, nonnihil inflexo, verſus calicem ſtrictiori, coloris roſaceo ſaturi, capitulo oblongo-rotundo, viridi, ad collum ſtrictiori, de cætero ad capitulum uſque virideſcentes, ac velut viridi collari circumdati, quinque venis in longum ſtriati, quibus laxatis ac fiſſis, in quinque foliola caput collique pars ſe aperiunt, quibus apertis quinque ſe prod000unt rubra *ſtaminula* cum ſuis longis & albicantibus ceu flaviuſculis apicibus, & cum iis *ſtylus* ruber, tenuis, ſuperne nodulatus. *Fructus* qui communi petiolo viridi ac primum flaviuſculo plures congregatim appendent, formâ ſunt tereti ac columnari, vertice plano ac magis lato, primum viridifuſci, ad verticem viridi-fuſciores, maturi rubeſcentes, qui vertex rotundo, ruffo, lato umbilico eſt inſtructus, in medio oculatus. Intra *corticem* craſſum *ſemen* continetur grandiuſculum, oblongo-rotundum, viride, muco viſcoſo, cum cortice inferiori fructus oblinitum ac obductum. *Cortex* fructuum cum lotura *Oryzæ* tritus œdematoſos extenuat pedes.

Válli-jtti-Cánni Lat.

വള്ളിഇത്തിക്കണ്ണി *Mal.*

وَالِيَايِطِّيْ قَانِّيْ *Arab.*



Loranthus longiflorus. Lam.

BELUTTA-ITTI-CANNI.

TABULA IV.

NAſcitur & hæc in arboribus; à primâ foliis & floribus differens; *folia* enim minora ſunt & anguſtiora, ad petiolum ſtrictiora, anterius cuſpidata, texturâ condenſa, ſuperficie magis æquali, coloris viridi fuſcioris; *coſtæ* raræ adverſam partem obſcure decurrunt. *Flores* hinc inde ſurculorum nodis pedunculis brevibus rubeſcentibus inſident, collo conſtantes viridi, poſt inferius rubeſcente, capitulo oblongo magis ſtricto, quod primum viride, dein magis magiſque ex viridi albeſcit, tandem in totum albeſcens, quo in quinque filamenta ceu anguſta foliola fiſſo, quinque ſe produnt rubra *ſtaminula*, apicibus longis, ſurrectis & viridi flaviuſculis inſtructa, ac cum illis *ſtylus* ruber, tenuis, ſuperne nodulatus; ad collum interius primum ſe findunt flores ac feneſtrati apparent, capitulo & colli ima parte nondum apertis; ex levi attactu in capitulo cum impetu in folia reſolvuntur ac laxantur, eaque annulatim vehementer exteriora verſus intorquent, & ſic inter mimoſas pertinent. *Fructus* ſunt baccæ oblongo-rotundæ, primum virides, dein maturi purpureo-rubeſcentes, cuſpide oblongo, purpureo-rubro in vertice inſtructi, ac ibi viſcoſi, *ſemen* in ſe continent oblongo-rotundum, albicans, viridi-fuſcum, oblongum, oculum anterius emittens viſcido mucore exterius oblinitum. Planta hæc trita & aqua *Oryzæ* incocta, incantamenta fruſtra facit, ſi fides habenda incolis.



Loranthus buddlejoides Lam.?

KANNELI-ITTI-KANNI.

TABULA V.

Kanneli, alio nomine *Kasjan*, arbor eſt naſcens in petroſis; in ea herba reperitur repens, quam *Kanneli-Itti-Kanni* vocant; cujus *rami* cinerei, ligno albo, teneriores virides. *Folia* pedunculis parvis, viridibus, geminata proveniunt, oblongo-rotunda, ſpiſſa, craſſa ac ſolida, ſuperficie plana & glabra, interiora nonnihil clauſa; *Coſtula* in utraque parte nonnihil eminet. *Flores* gemmæ ſunt oblongæ, tetrapetali, illorum *collum* oblongum, craſſum, in totum ex ſanguineo pulchre rubeſcentes. In orificio *ſtamina* viſuntur quatuor rubra & tenuia, in interiori parte ſuperne *apice* albicante, ſurrecto dotata, unguiculis foliorum inſerta; inferius ſe offert planum viride *capitulum*, è cujus vertice *ſtylus* albicans, ſuperne rubeſcens, ac nodulo dotatus ſe prodit. *Calyx* rotundus, viridiuſculus, collum florum arcte excipiens. *Fructus* rotundi & parum oblongi, anterius ſtrictiores, umbilico plano in vertice, primum virides, dein maturi fuſce-rubeſcentes, lacte albicante, viſcido, unctuoſo turgentes. Notandum præterea quod hæc planta, cum ſuis ramis ſuper ramos arboris *Kasjan* repens, ei arcte adhæreat ac uniat, ita ut in ſe invicem veluti liqueſcant, adeo ut in una eademque arbore, duo genera florum & fructuum conſpiciantur, arboris ſcilicet, & plantulæ hujus. Ipſa arboris *folia* oblongo-anguſto ſunt cuſpide, texturâ craſſa & ſolida. *Fructus* racemati, rotundi & flaveſcentes, umbilico profundo in vertice inſtructi, *ſemen* in ſe continent rotundum, grandiuſculum, cujus *nucleus* viridis. Ex foliis balneum paratur, pedum tumores, quos incantamenti viribus attribuit, gentis hujus credulitas, diſſipans; *Cortex* cum *Oryzæ* aqua in linimentum adaptatus, idem præſtat.

TAB. 3.4.5.

Quamvis hæ plantæ uno gaudeant cognomine, nulla inter illas tamen convenientia eſt, atque ideo omnes ſpecies ſunt per ſe, quæ nullis aliis aſſimilari poſſunt.

Mánga-nári lat.

മങ്ങനാറി Mal.

مانغا نغري Arab.

अबुल bram.



Ambulia aromatica Lam.

MANGA-NARI.

TABULA VI.

AMbuli Bramannes dicunt, plantula eſt altitudine cubitali, arenoſo & aqueo gaudens ſolo, ſupra terram repens, & *radices* quibus ſe affigit, è geniculis emittens, quæ longæ, tenues ac teneræ ſunt fibræ, pilis veſtitæ & implexæ, primum albi & dein crocei coloris. *Caules* geniculis deſtincti ſunt in articulos, valde aquoſi, teneri, fungoſi, fiſtuloſi, viridi dilutiſſimi, tenues ſurrectos cauliculos ex geniculis hinc inde ejicientes, in unoquoque geniculo tribus foliis alatim ſuccincti, vel etiam duobus ſe mutuo decuſſantibus; quæ *folia* oblonga, verſus inferiora reflexa, ac ibi nonnihil clauſa, texturâ craſſa & rigida, in margine denticulis acutis inciſa. *Coſta* cum coſtulis in recta parte tantum conſpicuæ. *Flores* in ſuperiori parte cauliculorum transverſorum ex geniculis ſupra originem foliorum proveniunt, petiolis tenuibus, brevibus, ſurrectis, viridi-dilutis, ceu etiam rubeſcentibus, terni ex geniculis qui foliis tribus, bini ex illis qui duobus, etiam alati ad caulem ſiti, monopetali, difformes, rubro-perſici, ſub purpurei, maxime in collo, de cætero rubro diluti & albicantes, exterius pilis minutis, interius pilis longiuſculis albicantibus obſiti. *Stamina* in illis quatuor albicantia, albicantibus apicibus dotata, bina & bina ad ſe arcuatim inflexa, inferius collo inſerta; *ſtylus* albicat, plano nodulo inſtructus, ex viridi globulo ſeminali emergens. *Calyx* quinque folius & rubeſcens. *Globuli* ſeminales oblongo rotundi, quinque laterales, ſulcis diſtincti; *ſemina* in iis continentur numeroſa ut illa piſcium, quæ adhucdum conjuncta viridi-fuſca ſunt, aſt ſeorſim conſpecta, viridi-diluta, albicantia, ac tranſparentia, cum ætate magis albicantia, ſed ſicca coloris fuſci. Tota planta, præſertim folia & gemmæ ſeminales odoris ſunt vegeti,

ſuavis & aromatici, odorem *Piperis* viridis nonnihil referentis, ſapor ſub-amarus eſt. In foliis & caulibus etiam odor fructus *Mangæ* percipitur, unde nomen *Manga-Nari* obtinuit. In decocto data antifebrilis eſt, in lacte acido vertiginem ſedat.

TAB. 6.

Plantulam hanc non potui referre niſi ad genera *Veronicæ*, cui propterea nomen dedi *Veronicæ Indicæ aquaticæ, maximæ, odoratæ, Teucri-ſolio, flore purpuraſcente.*

Ána-ſchovadi lat.

ആനച്ചുവടി mal.

عَنْعْ جِيُوْتَا ضِحِيْ Arab.

गोजवा bram.



Elephantopus scaber. L.

ANA-SCHOVADI.

TABULA VII.

ANa-Schovadi, quaſi diceres veſtigium pedis elephantis, tantum enim valet apud Malabarienſes; Bramannibus *Aſtipada*, quod idem ſonat, ſic dictum, quia folia in orbem ſe explicant; vel *Godjuva* id eſt, ſecundum eoſdem Lingua vaccæ, quod nomen ob ſimilitudinem obtinuit, plantula humilis eſt naſcens in arenoſis & humidis, præcipuè in umbroſis. *Radix* brevis, duriola, lignoſa, villoſis annulis circumdata, fibras plurimas, tenues & albas, in quibus tenue & lignoſum eſt filamentum, è latere emittens, ſaporis ſubacris & amari. *Folia* ex radice brevibus, planis viridi-dilutis petiolis prodeunt, transverſim ſuper terram in orbem diffuſa, oblongo anguſta, cuſpide obtuſo, in uno latere magis vel minus rotunda ora inflexa quam in alio, in margine tenuiter inciſa, ſuperficie ſubaſpera, hirſutis pilis obſita, criſpa, hinc inde rugulis contracta, craſſa, ſaporis ſubamari. *Coſta* in recta parte nonnihil eminet, lata ac plana, viridi-fuſca vel ſpadicea; in adverſa multum, ubi rotunda & viridi-albicans. *Flores* in lignoſis, viridibus, ſpadiceo-fuſcis ac piloſis proveniunt caulibus, qui inter folia è radice exſurgunt, inſidentque petiolis rigidis, ex caulium cymis prodeuntes, ac ad exortum parvis, oblongo-anguſtis foliis quandoque veſtiuntur, capitulis excipiuntur ſpicatis quæ in ſummitate petiolorum conſpiciuntur, à tribus cuſpidatis, ſurrectis, piloſis, & interiora verſus clauſis foliis ſuffulti; de cætero parvi, pentapetali, ſurrecti, è ſpiceis calycibus alte emicantes; coloris primò ex cæruleo ceu purpureo-rubri; proxime die albi-ſubflaveſcentes, odoris expertes. In medio *ſtylus* eſt tenuis, in ſuperiori parte bifurcatus, ex thecula emicans. *Semina* quæ una cum floribus in capſulis ceu potius capitulis ſpicatis prodeunt, oblongo-rotunda ſunt & tenuia, inferiori parte qua orificio calycis ceu baſi

capituli inſuſtunt, cuſpidata, in ſummitate oculum habent, cui flores cum ſuo calyce inſident, & ex illo quinque albicantia, tenuia ejiciunt *ſtaminula*; ſuntque primum albicantia, dein flaveſcentia, tandem cinereo-ruffa. Semel quos annis floret, ferme in Decembri, tempore pluvioſo ſolum naſcitur, rarius æſtivo niſi in locis udis, irriguis & opacis. Propagatur non tantùm de ſuo ſemine, ſed ex rotundo, craſſo, duro & lignoſo appendice, quæ radici adnaſcitur. Trita cum *Cumino* in lacte acido ſumpta fluxus ventris ſiſtit, præcipue dyſenteriam, inteſtinorum tormina, ventriſque tumores; addito *Zacchαro* antimelancholicum eſt. *Folia* cocta cum ſucceſſu iis propinantur qui ſpuitione laborant ſanguinis; decoctum ex *radice* & *foliis* diſuriam tollit.

Túmba-codivéli lat.

തുമ്പകൊടുവെലി mal.

مُوْنْبَاء قُحَافُحُوهْلِيْ arab.

चीतनकु bram.



Plumbago Zeylanica. L.

TUMBA-CODIVELI.

TABULA VIII.

SEcundum Bramannes *Davo Citroco*, plantula eſt duum triumve pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* flavo-fuſca, ex fibris conſtans capillatis, linguam pungens & lancinans, minus vero ut illa *Schetti-Codiveli*. *Caules* & ſurculi virides, angulati, venulis ſtriati, in nodulos diſtincti. *Folia* ex nodulis oriuntur, oblonga, tenuia. *Flores* ut illi *Schetti Codiveli*, excepto quod hujus petala nonnihil anguſtiora ſunt, & coloris in totum candidi. *Calyx* oblongus ac *ſtaminulis* parvis, quæ rubras gemmas in vertice gerunt, circumdatus, coloris viridis, ad inferiorem partem folio viridi-fuſco, cuſpidato, ſuccinctus, in adverſa parte, pilis parvis, ſurrectis & gemmulatis obſitum. *Semina* ut illa ſequentis *tabulæ*. Floret toto anno, maxime tempore pluvioſo. *Radix* in aqua decocta in fotum adhibetur pro veſiculis ac puſtulis aqueis quæ ſub pedibus naſcuntur.

Schetti-codivéli lat.

ചെത്തികൊടുവെലി mal.

[illegible] Arab.

वेत्रकु bram.



Plumbago rosea. L.

SCHETTI-CODIVELI.

TABULA IX.

PLanta hæc à Brammannibus vocatur *Tambido-Citróco*, altitudine quatuor vel quinque pedum naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa, flavo-fuſca linguam acerrime pungens & lancinans. *Caules* ſurculique rotundi, virides, venulis in longum ſtriati. *Folia* hinc inde in ſurculis, petiolis brevibus, languidis, interius ſtriatis & rubeſcentibus proveniunt, oblongo-rotunda, anterius in anguſtum cuſpidem deſinentia, valde tenuia, ſuperficie plana, viroris in recta parte fuſci, in adverſa clari. *Coſta* media in adverſa parte viridi clara, in recta, foliis adhuc teneris rubeſcens, in veterioribus fuſceſcens, cum lateralibus, in utraque parte eminent, marginem lato intervallo relinquentibus; Folia uti & caules linguam pungunt, minus vero quam radix. *Flores* ſurculorum ſuperiori parti, hinc inde ad unius ſpithamæ intervallum, vel ex transverſo, vel ſurrectim, vel pandi inſident, pentapetali, miniato-rubri, oblongo rotundi, in inferiori parte contractiores, tenues, in adverſa parte unica nitente coſta, quæ cum cuſpide extra oras nonnihil emicat, ſtriati; pediculo oblongo, nonnihil ſtriato & miniato rubro *calyci* inſidentes oblongo, arcto, aliquantulum rubro, qui parvis ſtaminulis transverſis, quæ gemmas minutiores, rubras & albicantes gerunt, circumdatur, & circa originem, tribus parvis, cuſpidatis, glabris foliolis ſuccingitur, odoris expertes. *Stamina* in illis quinque tenuia, ex rubro albicantia, quæ è pedis ſuperiori orificio, apicibus ſurrectis, cæruleo purpureis emicant: inter ea *ſtylus* tenuis & albicans ex calyce exoritur, in ſuperiori parte in quinque parva ſe dividens filamenta. *Semina* in ſpicis latitant oblongo-rotundis, quæ quinque coſtulis in longum ſtriantur, ac in calycibus oblongis, ubi flores decidunt, continentur, in ſingulis unum,

quorum forma oblongo-rotunda, primum viridia, dein nigra. *Floret* toto anno, maxime tempore pluvioſo. *Radix* trita & in aqua calida exhibita confert in febre frigida, ut & ſi arteriæ ſuperimponatur; in lacte acido ſumpta conducit in dyſenteria.

TAB. 7. 8. 9.

Omnes hæ plantæ anomalæ ſunt, mihi adhucdum incognitæ, ergo nec ad ſua genera nec ſpecies referre potui.



Asparagus sarmentosus. L.

SCHADA-VELI-KELANGU.

TABULA X.

SChada-Veli-Kelangu; ſecundum Bramannes *Saſara-Mulli*, planta eſt naſcens in arenoſis & ſurculis ſuis ſe vinciens. *Radix* albicans eſt inſtar rotundi nodi, ex qua plures radiculæ caudarum inſtar dependent, ad longitudinem duarum ſpithamarum, ad extrema fibroſæ tenuitatis, in medio craſſiores, carne aquea & albicante, intus lignoſo ac tenui filamento inſtructa, ſaporis aquei & ſubaſtringentis. *Caulis* cum ſuis transverſis ſurculis tenuis, lignoſus, viridis, rotundus, glaber, rigidus, plurimis ſpinis acutis, duris & verſus inferiora reflexis, munitus. *Folia* in cauliculis angulatis, tenuioribus, viridibus, qui ſupra ſpinas ex caule vel ejus ſurculis erumpunt, bina, terna, quaterna congregatim proveniunt, iiſque ex transverſo inſident, parva, oblonga, valde anguſta, craſſiola, ad oras extenuata, verſus ſummitatem cauliculorum quibus inſident, nonnihil inflexa, rigida, ſuperficie glabra, nervo in medio dotata, qui in una parte extuberat. *Flores* congregatim proveniunt in ſurculis parvis, rigidis, rotundis, viridi-claris, qui ſupra ex origine cauliculorum foliaceorum, ſeu etiam intra folia ſupra eorum exortum, erumpunt, iiſque pedunculis brevibus ac tenuiſſimis inſident; ſuntque *gemmæ* parvæ, penta vel hextapetalæ, coloris viridi-clari, poſtmodum albicantis; *ſtamina* in illis quinque vel ſex cum ſuis rubris *apicibus*, *ſtylum* cum ſuo nodulo in vertice gerentes, odoris fœtidi. *Fructus* baccæ ſunt trilateræ, ex tribus rotundis globulis arcte unitis, quorum unus vel duo majores ſunt, conſtantes, primum viridi fuſcæ & nitentes, deinde rubeſcentes, continentque in ſingulis globulis ceu lateribus unum *ſemen* rotundum, primum albicans & transparens, dein cortice nigerrimo & parum nitente. *Nucleus* albus eſt. Semel quot annis floret ferme in Novembri. *Radices* hepatis calorem in-

inſigniter temperant, ſanguinis cffervefcentiam ſiſtunt, acrimoniam bilis obtundunt, melancholiam repellunt, cor exhilarant; ab Indigenis cum *Zaccharo* condiuntur, ut & in aceto ad promovendum appetitum: *ſuccus* radicis expreſſus & epotus ardorem pectoris ac febrim calidam mitigat; prodeſt & in capitis vertigine ſi cum *Zaccharo* exhibeatur: cum *oleo* decoctus & ad perunctionem capitis adhibitus inſervit pro quibuſcunque morbis cutaneis ex cauſa calida obortis; decoctum *radicis* cum *oleo* dolores podagicros emollit, ſi pars affecta cum eo perungatur: *folia* in *oleo* toſta, & in formam emplaſtri redacta, commode veſiculis imponuntur, quæ in partibus aduſtis expullulant.

TAB. 10.

Hæc *Schada-Veli-Kalangu*, meo judicio, eadem planta eſt, quæ a Clar. D°. Hermans in ſuo *Horto Academico Lugd. Bat.* vocatur *Aſperagus aculeatus maximus ſermentoſus Ceylanicus.*

Coluppa Lat.

കൊഴുപ്പ Mal.

Arab.

काइपा bram.



Illecebrum sessile. L.

COLUPPA.

TABULA XI.

Lingua Bramannum *Coìpa* plantula eſt tortuoſo ductu ſupra terram ceu aquæ fundum repens, ad ſeſqui pedem ſe erigens. *Radices* quæ ex inferioribus caulium articulis prodeunt fibroſæ ſunt, & capillaceæ, primum albicantes dein rubeſcentes, ſaporis nullius, vel, ſi aquis ſalſis in naſcantur, ſalſi. *Caules* rotundi, aquei, virides, tenues, geniculati, ex geniculis cauliculos transverſos paſſim duos emittentes. *Folia* ex caulium geniculis bina & bina prodeunt, iiſque inſident, ſe mutuo ordine oblique decuſſantia, parva, oblongo-anguſta, nonnihil alatim incurvata, craſſa, denſa, mollia. *Coſta* media utrimque eminet. *Flores* ſpicatim ac conferti proveniunt in parvis brevibus petiolis, ſimul capitula referentes rotundiola ceu etiam oblonga, quæ arctè geniculis caulium inſident: *ſpicæ* parvæ ſunt, quæ in quinque petala oblongo cuſpidata ſtellatim ſe aperiunt, colore albeſcentes, ad umbilicum videſcentes. *Stamina* in illis tria cum ſuis flavis nodulis, ac capſulæ ſeminalis rudimentum viride; nullius odoris. Ipſæ *capſulæ* planæ & compreſſæ, florum petalis, quæ poſt aperturam ſe claudunt, comprehenſæ, ac ſcuttelli formiter ad ſe invicem poſitæ, cordis formam referentes, cum ſuo cuſpide ſtylo medio capituli inſidentes, colore albicantes & flaveſcentes: in ſingulis unicum continetur *ſemen* minutum, plano-rotundum, primò ruſum, dein cæruleum, obſcurum, in medio oculum habens pellucidum. Trita & capiti illita illius dolores mitigat; cum momento *butyri*, aquæ *roſaceæ* & *muſchati* aſſumpta flatibus diſſiipandis inſervit; *ſuccus* expreſſus & cum *aqua* calida epotus ventris dolores & flatus diſſipat: *Radix* trita, cum *Cumino* & *Sacchoro* mixta, & pro ratione morbi vel cum *lacte*, vel aqua *Coqui Indici*, vel

lacte acido ſumta, præcipue virium conſervationi vel etiam reparationi confert.

TAB. II.

Planta hæc à me vocatur, *Perſicariæ folio repens Malabarica, flore globoſo, albeſcente.*

Nir-válli-pullú lat.

നീർവള്ളിപുല്ലു Mal.

نيرْ وَعلّيْ بولّحةْ Arab.




NIR-VALLI-PULLU.

TABULA XII.

PLanta eſt aquatica, repens, radiculis albicantibus, tenuibus, fibroſis, fundo ſe affigens. *Caules* plano-rotundi, geniculati, in geniculis inferiorum articulorum radiculis veſtiti, albicantes, ſubviridescentes & nitentes, in ſingulis internodiis, veſicâ oblongâ, in qua folium tanquam in ſuo pede inſidet, ſuccincti, ac primum theciformiter tanquam ſuo involucro incluſi: ſunt autem hæ veſicæ interius concavæ, ex aqueo-viridi-albicantes; exterius aqueo-rubeſcentes, venis in longum ſtriatæ, aëre turgentes; qui ex comploſione cum ſonitu elicitur. *Folia* à veſicis, flavo-viridi-anguſto geniculo interſtinguuntur; oblongo-anguſta ſunt, venis ſubtiliſſimis in longum ſtriata, in recta parte valde aſpera, viroris ſubflaveſcentis, in adverſa ſubcæruleſcentis, glabra. Aurium tinnitus ex obſtruente pituita lenta contractus, hac planta in *Oleo Sergelim* excocta, vel foliorum ſucco auribus in ſimul inſtillato tollitur. Endemius ille morbus, *Pitao* dictus, per decoctum foliorum in *aqua* cum *ſaccharo* curatur.

TAB. 12.

Species videtur *Potamogeton foliis bullatis*, aſt quoniam deſcriptio imperfecta, aliis hoc judicandum relinquo.



Tradescantia axillaris. L.

NIR-PULLI.

TABULA XIII.

HErba repens naſcens in aquoſis & ipſis aquis, *radiculis* albicantibus & capillatis fundo ſe affigens. *Caules* rotundi, geniculati, in geniculis extuberantes, aquei, virides, tenelli rubeſcentes, poſt ſpadicei, exin virideſcentes, tandem purpureo-rubeſcentes. *Folia* in geniculis cum florum partu proveniunt, oblongo-anguſta, ima parte convoluta, florum principium cum novellis foliis includentia, craſſa, venis in longum ſtriata, in oris interius rubeſcentia, inferiori parte longiuſculis, albicantibus, raris pilis ſparſim obſita, maxime in oris. *Flores* parvi, tripetali, rotundioli, coloris cærulei purpuraſcentis. *Stamina* in illis ſex cærulea, capillis longis, denſis, cæruleis, barbata & obtecta, quorum cuſpides albi, apices vero crocei; Illorum *ſtylus* cæruleus eſt in albicantem deſinens apicem. *Capſulæ ſeminales* parvæ ſunt, trilateratæ, in lateribus lyra ſtriatæ, ſuperiori parte purpureo-rubræ, ima viridi-albicantes. *Calyx* parvus, trifolius, transparens, florum pedem arcte arripiens. *Semina* in illis continentur tria, interſepimentis à ſe mutuo deſtincta, parva, oblonga, vel etiam rotunda, in ſuperficie ordinate lacunulis extenuata, nigricantia. Decoctum hujus plantæ tympanitidem minuit.

TAB. 13.


Reſpectu florum planta hæc aliquam videtur habere convenientiam cum *Ephemero Virginiano Parkinſonii*, atque ideo non immerito vocabitur, *Ephemerum Malabaricum flore tripetaloïde.*

Bramí lat.

ബ്രമി mal.

bramí

बामी bram.



Bramia indica Lam.

BRAMI.

TABULA XIV.

NAſcitur in aquoſis, ſupra terram repens, atque hinc inde ex geniculis caulium, radiculis albicantibus, capillatis & fibroſis, fundo ſe affigens. *Cauliculi* aquei, viridi diluti, craſſioli, geniculati, teneriores rubeſcentes, ſaporis ſubamari. *Folia* bina in geniculis ſe mutuo decuſſant, caules inveſtiunt, ac frequenter teneris novellis folioſis ſtipantur cauliculis, parva ſunt, oblonga, craſſiola, denſa, exterius unica vena inſtructa, viroris diluti, ſaporis amari & aquei. *Flores* pentapetali, venis interius in longum ſtriati, exterius verſus ſe invicem reflexi, cæruleo-diluti, collulo latiori ex *calyce* quinquefolio proſilientes; *ſtamina* in illis quatuor albicantia, collo inſerta, *apicibus* ſemi lunaribus nigricantibus dotata; illorum duo altius emicant, ac cum iis *ſtylus* viridi-albicans, in ſummitate viridi fuſcior. *Capſulæ ſeminales* conicæ, calycibus obtectæ, parvulorum ſeminum, arenularum inſtar, quæ ſtylo medio circumponuntur, congeriem in ſe complectentes; quæ ſemina primùm viridia, dein ex albicante flaveſcunt, tandem nigricant. Ex frequenti hujus plantæ uſu, vaccarum ubera lacte turgent; fit & decoctum ex illa in *lacte vaccino* & *recenti butyro*, contra delirium temporibus inunguendum; *Pipere*, *Calamo Aromatico*, *Myrabolanis* & aqua *Oryzæ* trita & aſſumta, vocem reddit ſonoram.

TAB. 14.

Ex omnibus circumſtantiis apparet herbam hanc *Glaucis* eſſe genus, atque ideo meo judicio nominari poſſet *Glaux Indica Portulacæ folio, flore majore diluto cæruleo, albicante colore.*

Kirgáneli lat.

Mal.

Buján-anvalí

bram.

Arab.



Phyllanthus Niruri. L.

KIRGANELI.

TABULA XV.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, prior Bramannibus *Bujan-Anvali* dicitur, altitudine duorum pedum in quovis naſcens ſolo. *Radix* albicans, fibroſa, capillata, ſaporis nonnihil ſubacris. *Caules* tenues, lignoſi, virides, nonnihil nitentes. *Folia* bina ſerie proveniunt, obliquè ex adverſo poſita, parva, oblongo-anguſta, tenuia, lenia, viroris in recta parte fuſci & ſurdi, in adverſa diluti, *coſtula* tenui inſtructa, circa veſperam ſe claudentia. *Flores* petiolis ipſis foliaciis in parte inferiori prope originem foliorum inſident, valde parvi, hexapetali, albicantes, exterius ſubvirides, in medio globulum flaviuſculum ceu viridi-flaveſcentem continentes. *Gemmæ* hæ plano rotundæ & viridiuſculæ evadunt, *ſemina* intra ſe continentes, ſuntque in ſuperficie velut granulatæ ac in ſex cancellos ſuturis diſtinctæ, cortice viridi, qui interius durior & cinereo-albicans; commiſſuris relaxatis, in ſex triangulares reſolvuntur *capſulas ſeminales*. Ipſa *ſemina* parva ſunt, triangularia, ſpadiceo-fuſca. *Folia* una cum *radice* trita, apoſtemata reſolvunt; ſola, ulcera mundant; in oleo *Nucis Indicæ* frixa vulnera ſanant; *radix* paucis aliis ejuſdem energiæ, additis & in pulverem redactis tuſſientibus & rheumaticis prodeſt; cum *allio* trita, teſticulorum exulcerationes mundificat & conſolidat; & contra dyſenteriam oppoſitiſſimum remedium eſt.

Tsjéru-kirgáneli lat.

ചെറുകിഴകാനെല്ലി mal.

Buján-vali

बडइवअवाकी Bram.

جيرُو غِيرْقانِلّي arab.



Phyllanthus Urinaria. L.

TJERU-KIRGANELI.

TABULA XVI.

A priori tantùm differt, quod hujus cauliculi, ut & petioli foliacei rubeſcant, quodque *folia* nonnihil ſint anguſtiora, ac in pedunculis rubeſcentia, & in adverſa parte maxime ad oras rubro veluti limbulo circumdata.

Tab. 15. 16.

Unius generis hæ plantæ ſunt, una paulo minor quam alia, à me vocantur *Vitis Idea Affines, flore hexapetalo ex albicante.*

Mánja-adecá-manjén lat.

മഞ്ഞെ-അടക്കാമഞ്ഞൾ Mal.

مَاغَنَاچِيَاءضحهقَا تَعَنهِن arab.



Conyza patula. L.?

MANJA-ADEKA-MANJEN.

TABULA XVII.

NAſcitur in arenoſis; *radix* albicat; *caules* virides, tenues, *foliis* veſtiti; ſuntque illa oblonga, craſſiuſcula, piloſa, cuſpidibus acutis crenata; *coſtæ*, quæ in cuſpides incurrunt, in adverſa parte extuberant. *Flores* capitula ſunt plano-rotunda, flava, ex plurimis floſculis compoſita; qui ſinguli cyathiformes, in orificio quinque cuſpidibus inſtructi, *ſtylulum* emittentes craſſiolum, è cujus vertice *filamentum* prodit tenue; odoris gratiſſimi tota hæc planta eſt. Cum *Uvis paſſis*, *Cariophyllis* & *glycyrrhizæ* ſucco exhibita hæc planta, cacochymicum illud malum endemium (Pitao) eradicat, ſanguificationem juvat.

TAB. 17.

Conyza Indica, *Teucrii folio*, *flore flavo odorato*, planta hæc à me nominatur.

Kúrúndóti lat.

കുറുന്തോട്ടി mal.

Túpúcadi

तुपकट्टी bram.

فحورهنطاطحي arab.



Pavonia praemorsa. W.

KURUNDOTI.

TABULA XVIII.

PLanta altitudine duum circiter pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* fibris denſe obſita, cortice albicante, exterius fuſco-terreo, ligno albo. *Rami* vetuſtiores cinerei. *Folia* in brevibus ſurculis, pedunculis parvis ac viridi-dilutis plures ſimul proveniunt, parva, ad pedunculum ſtriata, ſuperne lata, in oris crenulis inciſa, mollia, lenia, in adverſa parte brevi lanugine obſita. Ex *coſta* media coſtulæ obliquo ductu anteriora verſus in ipſas crenas exeunt, in adverſa parte eminentes, rectam ſtriantes. *Flores* in ſummitate ſurculorum foliaceorum videntur, vel etiam ſupra exortum foliorum in ramis craſſiolibus, pentapetali, flavi, odoris expertes. *Stylus* flavus eſt, in ſummitate numeroſis flavis *ſtaminulis* penicillatim cinctus, quæ apicibus flavis minutis ſunt dotata. *Calyx* ſtelliformis, quinque habens cuſpides, qui interſtitiis foliorum ſunt ſuppoſiti. *Gemmæ* florum rotundæ in cuſpidem deſinentes. Floribus deciduis in calyce ſuccedit *globulus* quinque in ſe continens *ſemina* triangulata, primum viridiflava, dein cinerea. Pectoris & abdominis æſtus potione ex hac planta confecta mitigatur; nervorum vulnera juvat, lævigata hujus plantæ *radix*; quæ inſuper cum *Pipere* decocta & exhibita in algidis proficit febribus: *Cortex* cum *Carega-Pullu*, *Butyro* & *Lacte Muliebri* tritus, pectori, abdomini, temporibus læſiſque nervis illitus, convulſionibus ex gravibus vulneribus medetur.

TAB. 18.

Cyſti genus eſt, ideo nomen dedi *Cyſti humilis Indicæ, ciceri folio, flore flavo.*

Velám-púllú lat.

നീലമ്പുല്ലു mal.

Nila-pulla

नीलफुल bram.

نيلامْ بولّعْ arab.



Commelyna nudiflora. L.

NELAM-PULLU.

TABULA XIX.

PLantula naſcens in arenoſis. *Radix* albicans fibroſa. *Caules* tenues, rotundi, virides, geniculati, in geniculis parum rubeſcentes, *foliis* gramineis veſtiti. *Flores* qui in faſtigiis cauliculorum plures proveniunt, tripetali ſunt & rotundi, anterius vero cuſpide anguſto emicant, coloris perſico-cærulei, exterius in medio cæruleo-albi. *Stamina* in illis ſex cærulea, tria exteriora apicibus albicantibus ſurrectis, in adverſa parte nigricantibus, nodulata; tria interiora apicibus albicantibus trifidis decumbentibus dotata, nullius odoris: ſuntque tribus foliis parvis oblongis, viridibus ſuccincta, quæ florum petalis decuſſatim interponuntur. *Capſulæ ſeminales* oblongæ, virides, in quibus *ſemina* continentur parva, quæ primùm albicant, deinde rubeſcunt. Ex hac planta cum *ſero lactis* decoctum præparatur & liminentum, in umbilicali regione applicandum; quod egregium præſtat antidotum.

TAB. 19.

A me vocatur *Phalangii affinis Indica, flore cæruleo, pallido.*

Acára-púdá Lat.

അക്കരപ്പുട Mal.

Meſi

मिरी bram.

عقارع بوضحا Arab.



Drosera indica. L.

ARAKA-PUDA.

TABULA XX.

PLanta humilis, naſcens in arenoſis. *Radix* tenuis & breviuſcula. *Cauliculi* rotundioli, virides, languidi, haut lignoſi, pilis albicantibus veſtiti. *Foliorum* loco ſunt *cauliculi* ceu *ſurculi* laterales, nonnihil criſpati, pilis numeroſioribus, denſis, longiuſculis, qui ſinguli gemma flaviuſcula ſunt nodulati, obſiti. *Flores* hinc inde in ſuis petiolis viridibus & piloſis provenientes, parvi ſunt, pentapetali, rotundi, rubro-perſici, ceu cæruleſcentes. *Stamina* in illis quinque tenuiſſima, flavis apicibus dotata, aliis quinque filamentis, quæ apicibus deſtiuntur, comitata, & viridi globulo circumpoſita. *Calyx* quinque eſt oblongorum, viridium foliorum, qui, floribus deciduis, arcte ſe circa globulum conſtringit, & cum eo *capſulas ſeminales* oblongas conſtituit, in quibus numeroſa includuntur *ſemina*, arenarum inſtar, primum albicantia & ſubvirideſcentia, poſt nigricantia.

TAB. 20.

Pertinet hæc inter *herbas flore pentapetaloide vaſculiferas*; ad ſpecies *Alſinæ* referri poteſt atque ideo vocari *Alſinæ Myriophylli folio, flore carneo.*

Karínta-káli lat.


കരിന്തകാളി Mal.

Carínta-cáli

कायळो bram.

قحاريضحا قحارب arab.





Psycholtria herbacea. L.

KARINTA-KALI.

TABULA XXI.

IN petroſo pulverulentoque naſcitur fundo. *Radix* albicans, rotunda, piloſa, fibris hinc inde veſtita, filamentum in ſe continens tenuiſſimum, albicans ſaporis aquei. *Folia* in petiolis oblongis, viridi dilutis, aqueis, interius nonnihil planis, ac pilis barbatis proveniunt, rotunda, parum oblonga, fuſco-ſatura, *coſtulis* parum eminentibus obſita; odoris & ſaporis expertia. *Flores* in petiolis viridi-albicantibus, oblongis, rotundis, ſuperne terni proveniunt, ad exortum foliolis parvis cuſpidatis ſuccincti, ſtelliformes ſunt, monopetali, quinque partiti, collo oblongiuſculo ex calyce exſilientes, candidiſſimi, nullius odoris. *Calyx* quinque folius eſt & cuſpidatus. *Fructus* ſunt baccæ rotundæ, primum virides, dein rubeſcentes, intus pauxilla aquea carne repleti, & cum illa duobus oſſiculis albicantibus, uno latere, quo ſibi mutuo accumbunt, plano, altero convexo; ſaporis ſilveſtris: *Sero lactis* incocta diarrhæam ſiſtit; *oleo* incocta ophtalmica ſymptomata tollit.

TAB. 21,

Viola folio Malabarica baccifera nomen dedi.

Vela-naregam lat.



NELA-NAREGAM.

TABULA XXII.

PLantula eſt unius aut ſeſqui cubiti. *Radix* odore valde aromatico, colore flavo-rubicundo, ſapore amaro & ſubacri. *Folia* in unico duntaxat petiolo alatim terna proveniunt, parvula, oblongo-rotunda, leniter cuſpidata, craſſiola, mollia, lenia, glabra, viroris fuſci & nitentis, ſaporis ſubacris & aromatici. *Coſta* media viridi-albicans in adverſa parte eminet, & in recta ubi viridi fuſcior. *Flores* pentapetali, oblongo rotundi, candidiſſimi; in quorum medio *ſtylus* emicat oblongus, ſurrectus, candidus, *capitulo* craſſiori, ac in vertice, ubi floſculis breviſſimis coronatur, flavus. *Fructus* parvi, virides, trilaterales, parum convexi, tria in ſe quatuorve continent *ſemina*, interſepimentis ſejuncta, oblonga, aliquantulum incurva, albicantia, ſuperne extenuata, ſaporis ut & fructus ſubaſtringentis & ſubacris. *Succus* ex ſingulis hujus plantæ partibus extractus cum *Oleo Nucis Indicæ* illitus Pſoram delet. Ex *radice* affuſa *aqua*, potiuncula adverſus febres epilepſiam concomitantes præparatur, pulveriſata antidotum eſt contra notum illum morbum Pitao dictum.

TAB. 22.


Parte quarta hujus Operis *pag.* 27. 29. 31. ſub cognomine *Naregam* aliquæ ſpecies Limonum ſilveſtrium Ind. deſcribuntur, pro ut in notis deſignavi; cum hac noſtra *Tſeron-Katou-Naregam*, reſpectu foliorum, aliquam videtur habere convenientiam, fructus vero differunt; à me vocatur *Frutex Malabaricus trifoliatus, flore pentapetalo candidiſſimo, fructu triangulato.*

Scbanganám-Pulli lat.

ചെങ്ങണംപുല്ല *Mal.*

نغاغحانام بوللحو *Arab.*

पत्रवाटकु *bram.*



Hedyotis herbacea. β. L.

SCHANGANAM-PULLU.

TABULA XXIII.

PLantula eſt naſcens in arenoſis. *Radix* albicans, flaveſcens, lignoſa. *Caules* quadrati, geniculati, in inferiori parte nonnihil extuberantes, è geniculis ubivis ferme cauliculos ejicientes. *Folia* è nodulis proveniunt, oblongo-anguſta, anterius nonnihil contractiora, nervulo, qui rectam partem ſtriat, inſtructa. *Flores* tetrapetali ſunt, candidiſſimi, parvi, inferius latiores, anterius parum cuſpidati, *calyci* quatuor anguſtorum cuſpidum, inſidentes, in illorum medio *gemmula* eſt albicans, quæ in *globulum* viridi-dilutum, quatuor cuſpidatis foliis in orbem circumdatum, vel *ipſiſſimam capſulam ſeminalem* extuberat, primò viridis, dein cinereo-albicans. *Semina* ut parvæ arenulæ, parum oblonga, viridi-diluta, albicantia, exin rubro-fuſca.

TAB. 22.

Species eſt *Rubiæ*, hinc non immeritò à me vocatur *Rubia Indica ſylveſtris, foliis levis, flore albicante.*



Kaipá-Tsjíra lat.

കൈപ്പച്ചീര Mal.

Codivi-vaſſi

कोडुवेवजी. bram.

قحاپپا چیرا Arab.

Pharnaceum Mollugo. L.

KAIPA-TSJIRA.

TABULA XXIV.

PLantula humilis arenoſo gaudens ſolo. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* rotundi, virides, cymis inflexi. *Folia* caulibus ad cymas inſident, *parva*, oblongo-rotunda, cuſpide obtuſo, mollia, lenia, ſaporis aquei, ſubamari, *coſta*, in adverſa parte eminente, inſtructi. *Flores* plures ſimul videntur, pentapetali, oblongo-anguſti, candidi. *Stamina* continent quinque, tenuia, albicantia, *apicibus* albicantibus dotata, in quorum medio globulus ſeminalis albicans. Florum *gemmæ* oblongæ, virides; in illis *ſemina* arenacea, nigricantia, conferto numero *ſtylum* medium viridem obſidentia. *Succus* cum *Zingibere*, *Pipere* ac *Sale* epotus, dolores ventris, *Heniguimao* incolis dictos, mitigat.

TAB. 24.

Poſſet & hæc planta inter *Rubias* recenſeri *ſylveſtres*, aſt quoniam flores ſunt pentapetali, lubens judicium de illa aliis relinquo.

Tsjérú-tálú-dáma lat.

ചെറുതാളുതാമ Mal.

جهرو طارضحاق Arab.



Hedyotis racemosa. Lam.

TSJERU-TALU-DAMA.

TABULA XXV.

PLantula eſt arenoſa amans. *Radix* fibroſa, albicans. *Cauliculi*, qui ex radice plures exſurgunt, craſſi, quadrangulati, geniculati, viroris diluti. *Folia* ex caulium geniculis geminata proveniunt, oblonga, mollia, lenia, glabra, viroris in recta parte ſaturi, pilis minutiſſimis, inſtar holoſerici nitentis, obſita, ſaporis ſubamari. *Coſta* craſſa eſt, viridi-albicans & in adverſa parte eminens. *Flores* congregati proveniunt, *gemmæ* ſunt parvæ, tetrapetalæ, cuſpidatæ, ex purpureo cæruleſcentes, collulo oblongiuſculo, quorum calyci arcte inſident. In medio *ſtaminula* habent, itidem ex purpureo cæruleſcentia, *apicibus* dotata, *Stylus* in vertice gemmula nodulatus eſt. *Floribus* ſuccedunt *Vaſcula ſeminalia* geminata, ac ſi ex duobus eſſent compoſita, viridi-diluta, ad latera in medio quatuor cuſpidibus inſtructa, in vertice ſuturâ breviſſimâ, in qua ſe relaxant, ſtriata. *Semina* in illis duo, ad ſingula latera unum, intra propriam cartilaginoſam membranam conſita.

TAB. 25.

Me quod attinet, *Veronicæ ſimilis Malabarica, flore purpureo*, nominari poſſet.

Tsjérú-tsjónganámpúllú. lat.

ചെറുചൊങ്ങണാംപുല്ലു Mal.

جيرو چونغنانوم پولا Arab.



Pharnaceum triphyllum.

TSJERU-JONGANAM-PULLU.

TABULA XXVI.

NAſcitur in petroſis. *Caules* tenues, viridi-diluti, angulati, parum lignoſi, geniculati. *Folia* geniculis caulium inſident, oblongo-anguſta, cuſpidata, ad exortum ſtrictiora, lenia, mollia, in adverſa parte *coſtula* inſtructa. *Flores* plures congregati proveniunt, ſuntque parvæ, albicantes, pentapetalæ, cuſpidatæ. *Vaſcula* ſeminalia rotunda, viridia, in quibus *ſemina* parva arenacea, nigro-ruffeſcentia. Apozema ex tota hac planta confectum cholerae medetur; præparatur & ex illa balneum contra variolas. *Succus Vino* permixtus, tridui ſpatio bis de die aſſumtus, variolas expellit, febrem concomitantem minuit.

TAB. 26.

Ob ſimilitudinem *Rubiæ* à me vocatur *Rubiæ ſimilis Indica, flore albicante.*

Nirúri. lat.

[illegible] *Mal.*

Pána poí.

पानचेड़ी *bram.*

نِيرُوْرِيْ *Arab.*



Phyllanthus debilis. W.

NIRURI vel *NIRPULLA.*

TABULA XXVII.

ARenoſa amat & ripas fluviorum, trium quatuorve, plus minus cubitorum. *Stipes* pollicem craſſus. *Rami ſurculique* tenues & graciles, cortice ſpadiceo, teneriores viridi, duri, lignoſi. *Folia* in duabus proveniunt ſeriebus, oblongo-rotunda, tenuia, mollia, leniſſima, viroris in recta parte ſaturi, in adverſa hyali, ſurdi, cinerei, *coſtula* viridi ſatura & nitente inſtructa. *Flores* in tenuiſſimis, miniato-purpureis-rubris petiolis, vel ſolitarii, vel bini proveniunt, ſuntque parvæ, hexapetalæ, cuſpidatæ, albicantes, venula in medio viridi ſtriatæ; in meditullio globulo viridi, ſex venulis ſtriato, præditæ, *odoris* expertes. *Fructus* globuli ſunt plano-rotundi, ac velut granulati, virides, florum foliis ſuccincti, in vertice ſtellula quaſi ſex cuſpidata dotati; *ſemina* in illis ſex, intra corticem continentur cartilaginoſum, trilatera, exteriori convexo duobus interioribus plano, ſpadiceo-nigra & nitentia. Singulæ partes cum *Pipere longo* ac *Cumino* in aqua decoctæ catharroſæ adverſantur tuſſi & febribus eam comitantibus. *Folia* vel *radix* in *aqua Oryzæ* ad cataplaſmatis conſiſtentiam redacta, tumores œdematoſos imminuunt. *Radix* trita & cum *lacte vaccino*, *butyro recenti* ac *melle* in epithema confecta & lateri affecto applicata *pleuritidi* medetur; ejuſdem *cortex* vel etiam ipſa *radix foliave* in *ebutyrato Lacte* cocta phlegma eliciunt. Ex eodem *cortice* in oleo decocto linimentum adaptatur antiœdematoſum: admixto *ſale* in aqua *Oryzæ* apozema exhibet antipleuriticum.

Tsjérú-vallél lat.

ചെറുവള്ളൾ Mal.

Keriti

केरटी bram.

جهرُو واللهل arab.



Hydrolea Zeylanica. Vahl.

TSJERU-VALLEL.

TABULA XXVIII.

PLantula repens, aquoſa amans, *radiculis* albicantibus, capillatis, longiuſculis, ſaporis, ſubamari. *Cauliculi* rotundioli, viridi-diluti, breviuſculis pilis obſiti. *Folia* quæ breviſſimis ac planis adhærent pedunculis, oblongo-anguſta, cuſpidata, tenuia, lenia, ſubamara, in adverſa *coſtis* eminentibus obducta. *Flores*, qui in petiolis brevibus foliis concomitantur viridibus ac parvulis, plures ſimul proveniunt ſtelliformes, pentapetali, cæruleo venuſti ac blandientes, odoris expertes. *Capitulum* ex orificio ſe exſerit viride, quod ex vertice duo *ſtaminula* emittit cærulea, quæ iterum quinque aliis albicantibus ſuccinguntur, furci formibus albicantibus *apicibus* nodulata. *Calyx* quinque folius eſt & piloſus. *Globuli* ſeminales parvi, oblongi, ſupernè contractiores, calycis foliis in totum obtecti, numeroſa in ſe continent parva ac pene arenoſa *ſemina*.

TAB. 27. 28.


Plane eædem videntur hæ plantæ & anomalæ ſunt, quamvis flores & forma, cum illa *Anagallidis* convenire videantur, folia vero ab illa quoad ſitum differant, aliis de illis judicium relinquere malui.

Schérú-búla. lat.

ചെറുപൂള Mal.

جهرو بولا Arab.

तादुळो bram.



Illecebrum lanatum. L.


SCHERU-BULA.

TABULA XXIX.

HUjus plantæ duæ ſunt ſpecies, una ejuſdem nominis, altera *Scheru-bula*; quæ lingua Bramannum *Tandalo* vocatur; *caules* ſuos maximè in latum ad tres quatuorve pedes diffundens, arenoſo gaudens ſolo, ſemper florens. *Radix* tenuis, albicans & rubeſcens, fibroſa ac ſubamara. *Caules* tenues, rotundi, viridi-diluti ac rubeſcentes, lanuginoſi, aliquantulum lignoſi. *Folia* in caulibus, vel ſolitaria, vel bina, vel terna congregatim proveniunt, iiſque breviſſimis petiolis inſident, parva, rotundiola, parum oblonga, craſſiuſcula, in ſuperficie piloſa, maxime in adverſa parte. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte eminet, rectam ſtriat. *Flores* ubivis ſpicatim videntur & conferti in brevibus petiolis, qui vel ſolitarii, vel duo tresve ſimul ſupra ex origine foliorum erumpunt, capitula referentes oblonga, ſuntque rotundæ, albicantes & lanuginoſæ gemmulæ, pentapetalæ, in exteriori parte lanuginoſæ & albicantes, interius virides, ſine ullo odore. *Stamina* in illis quinque tenuia, parvis flaviſque apicibus dotata. *Capſulæ ſeminales* ex ipſis floribus poſt aperturam iterum clauſis, conſtituuntur, in unaquaque *ſemen* continetur unicum, minutiſſimum, rotundum, planum, primum viride, dein rubeſcens, tandem nigrum & nitens.

TAB. 29.

Genuina hæc *Herniaria* eſt, ſi non illa quæ à *Perkinſonio* deſcribitur ſub nomine *Herniariæ Africanæ majoris*.



Búla. lat.

Mal.

Arab.

दाकलोतादृळ *bram.*



Hedyotis subcordata

BULA.

TABULA XXX.

SEcunda ſpecies Bramannum lingua *Dácalo-Tandalò* dicitur, priori ſimilis excepto quod caules non tam in latum diffundantur. *Radix* eadem. *Caules* tenues & ſtriati, intus valde aquoſi, viridi-diluti vel etiam rubeſcentes, qui comploſi fumum interdum vel vaporem exhalant. *Folia* paulo minora ſunt, utrinque piloſa. *Coſta* media in adverſa parte eminet, ut & laterales, rectam ſtriant. *Flores* eodem modo ut illi præcedentis proveniunt, albicantes, ſuperius rubeſcentes, tetrapetali, odoris expertes. *Stamina* in illis duo albicantia, quorum *apices* etiam albi. *Semina* in folliculis reſident, in ſingulis duo, diſtinctis tamen loculis, parva, ad maturitatem perducta, fuſca. *Radix* cum *Scheru-bula* trita, & pro lotione adhibita, aqueos humores diſſolvit & expellit.

TAB. 30.

Quamvis hæc planta pro altera conſpecie præcedentis à noſtro Autore haberi videatur, nulla tamen inter illas convenientia eſt, qua propter hæc inter Anomalas recenſeri debet.


Nelátsjira lat.

നെലാച്ചിര *Mal.*

Boín-góli

बुइगोळि *bram.*

نيلا چيرہ *Arab.*



Oldenlandia depressa. W.

NELA-TSJIRA.

TABULA XXXI.

PLantula repens, cauliculis geniculatis, aqueis, rubeſcentibus, fibris albicantibus, quas ex geniculis diffundit ſe affigens, circa geniculos oblongis albicantibus pilis capillata. *Folia* parva, oblongo-rotunda, valde craſſa & aquea. *Flores* parvi, flavi, tetrapetali, rotundi, quorum *ſtamina* etiam flava. Hujus plantæ cum *ſero lactis* decoctum, famoſum illum pedem tumorem, *Todda-Véla* dictum, diſcutit.

TAB. 31.

Ego nomen dedi *Sedi folio Indica, flore tetrapetalo, flavo colore.* Aſt quoniam nec ſemina nec illorum conceptacula deſcribantur, nihil certi in totum definiri poteſt.

Múriguti lat.

[illegible] Mal.

Gáe-máril

गारमारि bram.

[illegible] Arab.



Hedyotis Auricularia. L.

Muriguti.

TABULA XXXII.

ARenoſa amat ſupra terram repens. *Radix* albicans, fibroſa, odoris grati. *Rami* geniculati, virides, vel etiam teneri ex ſpadiceo fuſce-rubeſcentes, albicantes, & pilis longioribus obſiti. *Folia* geniculis geminata inſident, oblongo-anguſta, viroris in recta parte ſaturi, in adverſa diluti, pilis tenuiter obſita, ſubaſpera. *Coſta* media cum lateralibus in adverſa parte altum eminet. *Flores* plures congregati geniculis, ſupra folia, inſident, lato collo, parvi, tetrapetali vel etiam pentapetali, ſed rarius, exteriora verſus reflexi, in totum candidiſſimi. *Stamina* in illis quatuor tenuia, candida, *apicibus* ſurrectis albicantibus dotata. *Capſulæ* ſeminales rotundæ, vertice plano ac lato, primum virides, parum nitentes, ſiccæ contractiores ac globuloſæ, in medio verticis umbilico viridi parum extuberante præditæ. *Semina* in illis tria quatuorve, arenacea, nigerrima. *Folia* trita & *butyro* permixta unguentum exhibent abſceſſus maturans & aperiens. *Crocus* ſi addatur, & cum *oleo Nucis Indicæ* coquatur, vulnera ſanat; vulneraria enim energia, & nomine & re, huic plantæ competit; *Muriguti* enim tantundem dicit ac *læde*, *ſana*.

TAB. 32.

Alſinæ affinis planta Indica, flore candido, a me vocatur.

Caicottén-pála lat.

കൈക്കൊട്ടെൻപാല *Mal.*

كَيْكُتَّنْ پَالَ *Arab.*

डुडुणी *bram.*



CAICOTTEN-PALA.

TABULA XXXIII.

Lingua Bramannum *Dodini*, planta humillima, arenoſa amans. *Radix* fibroſa & capillata, cortice rubeſcente, qui ſaporis eſt ſubamari. *Cauliculi* rotundi, lignoſi, virides & piloſi, in nodulos diſtincti, circa ſuperiorem nodulorum partem tuberculo viridi-claro turgeſcentes, intus lactei. *Folia* bina & bina proveniunt, oblonga, in uno latere ad petiolum, in altero ad verticem magis coarctata, in margine denticulis minutis inciſa, lactea, tenuia, ſuperficie piloſa. *Coſta* cum nervis in adverſa parte eminet. *Flores* tam in ima quam ſumma caulium parte proveniunt, numero paſſim unus, ad ſingulorum foliorum exortum emicantes, rarioribus pilis obſiti, ſuntque numeroſæ *gemmæ* ſubflavæ ceu ruſæ, quæ plures ſimul conjunctæ, in ſummitate petiolorum, ubi in minutiſſimos ſparguntur ramulos, *capitulum* flavum efficiunt, de cætero parvi, tetrapetali, viridi-diluti, albicantes, in medio virides, quorum *ſtylus*, filamentum tenue cum nodulo in vertice ejicit. *Capſulæ ſeminales* nonnihil majores, trilateræ, in lateribus ſtriatæ, primum virides, exin flavæ. *Semina* in unaquaque tria, parva, conciſa, rubra. Eſt & alia hujus plantæ ſpecies, in eo tantum differens, quod cauliculi rubeſcant ut & gemmæ in capitulis, quarum petala albicantia & in medio valde rubra. Tempore pluvioſo maximè, æſtivo autem rarius deprehenditur. In *lacte acido* data inteſtinorum tormina ſedat, cum aqua decocta & pro lotione adhibita, capitis dolores mitigat.

TAB. 33.

Species hæc planta *Veronicæ* videri, & *Veronicæ ſimilis Indica, albicante flore*, nominari poſſet.


Náru-nindi lat.

Mal.

Úparaſáli

सरिवा bram

Arab



Ceropegia tenuifolia. Thunb.

NARU-NUNDI.

TABULA XXXIV.

Lingua Bramannum *Upara-Sali*, herba repens ſine claviculis, arenoſo gaudens ſolo. *Radix* tenuis, lignoſa, intus alba, cortice lacteo tenui, qui tener viridi-clarus, poſt flaveſcens, nonnihil capillatus, ſiccior odoris aliquo modo acris, ſuavis & aromatici. *Caules* tenues, lactei, rubri, ceu ſpadiceo-rubri, primum virides. *Folia* in petiolis breviſſimis, interius purpureo-pallidis bina & bina proveniunt, oblonga, anguſta, ſuperiora verſus contracta, in cuſpidem oblongum, anguſtum, extenuata, viridi-fuſca, tempore hyberno ceu pluvioſo triplo ferme longiora quam æſtivo. *Coſta* rectam ſtriat partem, ubi purpureo-pallida; in adverſa eminet. *Flores* cum ſuis pedunculis in communi brevi ramulo, bini vel terni vel quaterni videntur; gemmæ ſunt apertæ, pentapetalæ, craſſæ, cuſpidatæ, interius nonnihil ex rufo-rubeſcentes, deinde magis rufæ, in orificio ad unguiculos rubro-ſubceruleæ, exterius viridi-flaveſcentes. *Capitulum* in medio ſeſe offert, ex *ſtylo* conſtans medio, vertice, plano, albicante, quinque *ſtaminulis* craſſis, cuſpidatis, ſubrufis, arcuatim verſus ſtylum inflexis, veluti coſtas capitulis referentibus, inſtructo; odoris expertes. *Fructus* non fert, neque *ſemina*. *Radix* conciſa cum *Allio* ac *carne Anatina* in oleo *Nucis Indicæ concota* decoctum antihæmorrhoidale præſtat. *Radicis* pulvis per ſe exhibitus, antifebrilis eſt; cum *Zaccharo* mixtus, quartanis adverſatur; cum *vino* ſumtus, vel pro balneo adhibitus empyemati & internis abſceſſibus medetur. Eadem *radix* læſæ à colubro virulento parti impoſita, alexicaca energeia commendatur: cum aqua trita potionem exhibet contra diarrhæam. *Bulbus* radicis cum lacteo *Nucis Indicæ* ſucco hauſtus, hæmorrhoides tollit. Ex ejuſdem *cortice*, *lacte* & recenti butyro levigato, linimentum præparatur, adverſus bubones venereos, extrinſece

applicandum; hæmorrhoidibus reſiſtit idem bulbus, ſi pulveriſatus cum oleo, & in formam libaminis redactus, comedatur.


Tab. 34.

Flores hujus plantæ illis *Anagallidis* ſimiles ſunt. Fructus nec ſemina deſcribuntur, illis enim, ut Cl. Author noſter refert, caret.

Parpadagám lat.

പർപ്പടകം, *Mal.*

قحارْپارْپاضَاغَامْ *Arab.*



Hedyotis herbacea. L.

PARPADAGAM.

TABULA XXXV.

PLanta humilis, arenoſa amans, cauliculis in latum ſparſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* rotundi, viridi-diluti, geniculati, in geniculis *foliis* geminatis ordine decuſſato veſtiti; quæ oblongo anguſta, cuſpidata, parum craſſiola, *venâ* in adverſa parte eminente, ſtriata. *Flores* parvi, ſubrubeſcentes, tetrapetali, cuſpidati, candidi, in cuſpide dilute purpurei; *calyce* excipiuntur viridi, globuloſo, orificio rotundo, cujus folia interſtitiis petalorum obverſa: *ſtamina* in illis quatuor ſurrecta, candida, apicibus candidis dotata, quorum *ſtylus* candidus & bifurcatus. *Capſulæ* ſeminales, quatuor in vertice gerunt cuſpides, ac ibidem rubeſcunt, in medio ſutura in longum ſtriatæ, intus in duas partes per membranam intermediam, quæ ex ſutura excurrit, diſtinctæ. *Semina* in illis numeroſa, arenacea continentur, carni viridi inſidentia. Cum *Sandalo* citrino in *Aqua* & *Melle* trita, apozema ex hac planta contra ardentes, additoque *Cumino* & *Tsjaninaigam*, adverſus ſpasmodicas elicitur febres.

TAB. 35.

Inter tertiam *Alſinæ* ſpeciem referri poſſet, & eſt *Spergula Indica major flore candido.*


Cará - tsjira Lat:

[illegible] *Mal.*

Góli

[illegible] *bram.*

[illegible] *Arab.*



Portulaca oleracea silvestris. L.

KARA-TSJIRA.

TABULA XXXVI.

SPecies eſt *Pola Tsjira*, plantula humilis, arenoſa amans & uda, caulibus in transverſum ſuper terram ſparſis ac decumbentibus. *Radix* albicans, fibroſa, intus lignoſa. *Caules* rotundi, virides, ex una parte frequenter ex ſpadiceo rubeſcentes, glabri, molles, languidi, aquei, plurimos transverſos ramulos diffundentes. *Folia* plura ſimul proveniunt, oblonga, lata, ad petiolum ſtricta, anterius rotunda, craſſiola, mollia, fractu facilia, plana, in adverſa parte venula inſtructa, fuſca, ad oras rubeſcentia, foliis *Portulacæ* ſimillima, ſed minus oblonga, ſaporis aquei, ex genere olerum. *Flores* ex foliorum partu medio plures ſimul emicant, parvi, pentapetali, oblongi, interius in medio inciſi, flavi; *calyce* excipiuntur viridi, lato, rigido, majori, compreſſo, in duas acutas oras ſtricto: *ſtamina* in illis plura, flaviuſcula, flavis nodulis dotata. Florum *gemmæ* virides, anterius compreſſæ, rotundis & acutis oris. *Capſulæ ſeminales* in calycibus conſtrictis includuntur, numeroſa continent *ſemina*, rotunda, parva, primùm albicantia, dein rubeſcentia, tandem nigricantia. Trita cum *Oryzæ* lotura carbunculis medetur.

TAB. 36.

Portulaca hæc eſt *Sylveſtris*; neque, quantum mihi videtur a noſtra differt.

Wádapu lat.

Mal.

gondó

bram.

Arab.



Gomphrena globosa. L.

WADAPU.

TABULA XXXVII.

NAſcitur in arenoſis. *Rami* rotundi, viridi-diluti, geniculati, in geniculis rubeſcentes, pilis villoſis parum hirſutis, qui illos, ubi manu ſtringuntur, ſubaſperos reddunt, induti. *Folia* in geniculis geminata proveniunt, vel etiam plura congregata, ubi ſurculi ex geniculis ramorum prodeunt, oblongo-anguſta, craſſiola, viridi diluta, pilis albicantibus utrinque obſita. *Coſtæ* in adverſa parte eminent. *Flores* glomerati ſunt, perſico-purpureo-rubri, nitentes, rigidi, cuſpidati, globoſi; aſt non ubi ſemina prodeunt; tum enim oblongi ſunt, non purpureo rubri, ſed cinereo albeſcentes, in hiſce ſtellulæ ſeſe offerunt flavæ, quinque cuſpidatæ, è medio emicantes; ipſi autem flores pedetentim ſeſe aperiunt, primò inferiores cum ſuis ſtellulis, ſuperioribus adhuc clauſis. *Semina* intra filamenta piloſa conſita ſunt, in medio duorum foliorum, unicum numero; quæ exſiccata coloris ſunt ruffo-nigricantia. Obſervandum eſt & in hac planta, quod tempore admodum pluvioſo, ſemina in capitulis reſidua, nova plantarum germina producant perinde ac ſi terræ mandatæ fuiſſent; quorum ſurculus tenellus eſt, pollicaris fere longitudinis ac perſico dilutus, & in vertice duobus foliis viridi-fuſcis, parvis, oblongo rotundis veſtitus; in capitulis vero terram verſus dependentibus ipſa germina ex ſuis ſeminibus, ſurrectis ſurculis, & à cuſpidibus foliorum reflexis, in ſublimem liberumque aërem erumpunt: tempore autem æſtivo ac torrido, nihil ſimile in ullis plantis obſervetur. Eſt & altera ſpecies à prima tantùm differens, quod florum capitula foliis ſint albicantibus; ſtellulæ autem flavæ, uti in capitulis prioris ſpeciei perſico-rubris. Tuſſim & comitem præcordiorum fauciumque dolorem leniunt hujus folia, cum *Sandalo-Citrino* ex aqua epota.

Tab. 37.

Wadapu eſt *Amarantho affinis Indiæ Orientalis, floribus glomeratis, Ocymoidis folio. Breynii Cent.* Delineator piloſitatem qua planta hæc obducitur, nec obſervavit nec expreſſit; quod tamen deſcriptio clariſſime deſignat.

Belútta-adecá-manjén lat.

വെളുത്ത അടക്കാമഞ്ഞെൻ Mal.

بِلُطًّا اَضِكّا مَانِيَّهِن Arab.



Celosia margaritacea. L.

BELUTTA-ADECA-MANJEN.

TABULA XXXVIII.

PLanta aquoſa. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* lignoſi, virides. *Folia* quæ ſurculis inſident, oblongo-anguſta, tenuia, lenia. *Coſta* cum lateralibus in adverſa parte eminet. *Flores* ſpicati proveniunt in capitulis primò rotundis, dein oblongioribus, pentapetali, rigidiuſculi, interius cochleato-cavi, albicantes, ac dilute rubro-purpuraſcentes & nitentes. *Stamina* in illis quinquo rubra, apicibus rubris dotata, quorum *ſtylus* oblongior, ſuperne nodulatus. *Semina* in ſpicis tria quatuorve conſita, parva, orbiculata, plano-rotunda, ex ſpadiceo nigricantia, glabra ac valde nitentia.

Tjera-belluttæ-adeca-manjen lat.



Celosia argentea L.

TSJERIA-BELUTTA-ADEKA-MANJEN.

TABULA XXXIX.

Cum priori convenit, excepto quod hæc foliis ſit oblongioribus & anguſtioribus, capitulis ſpicatis minoribus, cuſpidatis & anguſtis, albicantibus & dilute purpuraſcentibus.

Tab. 38. 39.

Duæ hæ plantæ *Ameranthо affines* ſunt, de qua in præcedenti, & inter illas recenſeri debent.



Verbesina biflora. L.

VALLIA-MANGA-NARI.

TABULA XL.

PLanta eſt altitudine duum pedum, arenoſo gaudens ſolo. *Radix* albicans, fibroſa, odoris grati aromatici. *Rami* geniculati, in geniculis extuberantes, virides, vel etiam purpureo-rubeſcentes & nitentes, vetuſtiores cinerei, ligno albicante medullari. *Folia* in geniculis petiolis languidis, viridi-dilutis geminata prodeunt, oblonga, circa petiolum lato ac rotundo ambitu, anterius in cuſpidem ſtricta, crenata, pilis breviſſimis tenuiter obſita, valde tenuia, ſemiaſpera & lenia, viroris ſaturi, odoris acris ut & ſaporis. *Coſta* cum coſtulis in utraque parte eminet, maximè in adverſa. *Flores* hinc inde ſupra ex origine foliorum proveniunt, octo petali, flavi ceu lutei, capitulo medio circumſtantes, ad unguiculos nonnihil ſtrictiores & à ſe mutuo diſſiti, ſuperne tenui inciſura bifida ceu trifida, & exterius duabus *coſtulis* eminentibus, in quarum tractu interius lyris ſunt ſtriati, ad ſingulorum petalorum medios unguiculo ac ſtaminulo bifurcato flavo dotati. Ex medio florum *capitulo*, numeroſi floſculi emicant, monopetali, parvi, ſurrecti, craſſi, cuſpidati, interius cochleato cavi, theciformi flaviuſculo collulo, ſuperne in quinque cuſpides fiſſo, ex quo *ſtylulus* nigricans, ſurcula-flava bifurcata dotatus emicat; ſuntque hi floſculi primùm parvæ, flavæ, rotundæ *gemmulæ*, poſtea ſeſe aperientes, formam minutorum referentes heliotroporum, odoris expertes. *Calyx* ex pluribus conſtat longiuſculis, cuſpidatis, rigidiuſculis, viridi-dilutis foliis. *Semina* oblonga ſunt, inferius cuſpidata, cum cuſpide baſi capituli florum inſidentia, ſupra vertice plano, cujus meditullio floſculus inſedit, quadrangulata & nigricantia; quæ cum floſculis ſimul juncta, *capitulum* conſtituunt medium. *Folia* & floſculorum capitula, eundem, ut fructus *Mangæ*

immatura, ſpirant odorem; contrita cum ſucco recenti *Zinziberis* triturata, in doloribus flatulentis inteſtinorum exhibentur.

Tab. 40.

Inter ſpecies pertinet *Chryſanthemi*, tam reſpectu florum quam ſeminum, & vocari poteſt *Chryſanthemum Indicum*, *urticæ folio*, *flore luteo*, *petalis bifidis*.

Cajenneám lat.

കൈയ്യെന്നിയം mal.

فَعْرِيْ هِنْجَامْ Arab.

मीको bram.



Verbesina dichotoma. W.

CAJENNEAM.

TABULA XLI.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, una ejus nominis, quæ Bramannibus *Maco* dicitur, altera *Peè-Cajenneam.* Prior altitudine eſt quatuor quinqueve pedum, aquoſis & udis gaudens locis, repens, *radiculis* albicantibus & fibroſis, quæ ſaporis ſunt ſubacris, hinc inde ſe affigens. *Caules* plures juncti & radiculis implexi exſurgunt, viridi-diluti, geniculati, pilis raris decumbentibus obſiti, ad tactum ſubaſperi, ſaporis ſubacris. *Folia* ex geniculis bina & bina proveniunt, oblongo-anguſta, ad petiolum & anterius ſtricta, alia lateribus uniformibus, alia alatim inflexa; in margine tenuiter crenata, pilis tenuibus ac decumbentibus obſita, aſpera, tenuia, viridi-fuſca, ſaporis ſubacris & amari, qui intenſior eſt in radice. *Flores* vel ſolitarii, vel plures ſimul proveniunt, parvi, decapetali, candidi, unguiculis ſuis capitulo medio, plano, rotundo, viridi circumpoſiti. In medio plures emicant cyathi ex capitulo, tetrapetali, *ſtylum* emittentes bifidum, ex albicante flavum cum thecula ſua nigricante, parvis viridibus & cuſpidatis foliolis circumpoſiti; *calyce* excipiuntur decem cuſpidatorum & viridium foliorum. *Semina* in capitulo rotundo-plano continentur numeroſa, oblongo-anguſta, plana, nonnihil convexa, ad unam partem cuſpidata, cum craſſiori parte ſuperiora verſus converſa, cyathorum pedes cum foliis interſperſis in oculis ſuis recipientia, primò albicantia & viridi-diluta, dein viridi-fuſca, tandem cinerea, in longitudine utrinque recto, albicante ac ſubpurpureo limbulo obducta; in parte inter limbulos intermedia, angulo ſubacuto in longum prominentia. Floret hæc planta tempore pluvioſo, etiam æſtivo ſed in locis udis & irriguis. Decoctum ex hac planta confectum & exhibitum, capitis & dentium ſedat dolores. *Succus*

 unà

unà cum *Butyro* epotus in omnibus ſymptomatis doloribuſque juvat arthriticis; cum *Vaccæ urina* datur pro morbis illius regionis endemiis; ex pulvere cum *Oleo* permixto pillulæ conficiuntur adverſus vertiginem, humoreſque capitis phlegmaticos. *Folia* in pulverem redacta, cum *Sale*, *Pipere* & *ſucco limonis* permixta appetitum promovent, nauſeam pellunt.

Pee-cajóni lat.

പെക്കയ്യോന്നി Mal.

[illegible] Arab.

[illegible] bram.



Verbesina calendulacea. L.

PEE-CAJENNEAM.

TABULA XLII.

ALtera ſpecies à Bramannibus *Bringaraſi* nuncupatur, priori ſimilis, paulo tamen minoris altitudinis, *caulibus* ſubrubeſcentibus, *foliis* numeroſioribus, amplioribus, craſſioribus; ſapor idem. *Flores* majores ſunt & flavi, paſſim octopetali, oblongi, in ſummitate latiores, in tres duosve cuſpides inciſi, in longitudine plicis ſtriati; *cyathi* flavi, pentapetali, parvi, cuſpidati cum thecula nigricante, *ſtylum* flavum bifidum emittentes; ad unguiculos uniuscujuſque petali flavi, capitulo circumpoſiti, *ſtylus* emicat flavus & bifidus. *Calyx* decem plus minus cuſpidatorum inæqualium foliorum. *Semina* eadem. *Succus* cum momento *ferruginis* probe toſtæ, & *vaccæ urinæ* maceratæ pro hydropeſia aſſumitur. Crines auget ſi cum illo caput abluatur: decoctum *foliorum* cum *oleo* recenti capitis dolorem ſedat; de cætero vires eædem ut illæ Cajenneam.

TAB. 41. 42.

Inter *Bellidis* majoris vel *Chryſanthemi* ſpecies duæ hæ plantæ referri poſſunt; & quamvis forma differant, in Characteriſticis tamen conveniunt.

Adacá-manjén Lat.

[illegible] Mal.

mundi

मुडी bram.

[illegible] Arab.



Sphaeranthus indicus. L.

ADACA-MANJEN.

TABULA XLIII.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, una ejus nominis, altera *Tsjeria-Adaca-Manjen*; prior à Bramannibus *Mundi* appellatur, naſcens in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa, odoris grati. *Caules* rotundioli, viridi-diluti, laciniis viridibus, crenatis & piloſis alati. *Folia* quæ caules ramuloſque inveſtiunt, & quorum latera inferius petiolum alatim ſuccingunt, oblongo-rotunda ſunt, anguſta, valde piloſa, in oris ſerrata, flaccida, mollia, ad tactum viſcida, muſcoſo ſuo humore, dum convolvuntur mutuo conglutinantia, odoris acris & pergrati, ſaporis ſubacris, edulia. *Coſta* in utraque parte eminet. *Flores capitula* ſunt *globoſa*, quæ caulium ramulorumque alatorum faſtigiis inſident, glomulis ſurrectis in totum obſita, coloris purpureo-rubri ſaturi, maxime in glomulis, è quibus *floſculi* velut *ſtaminula* oblonga, purpurea & in ſuperiori parte albicantia, quæ *ſtylulum* purpureo-albicantem ejiciunt, emicant; ſuntque hæc capitula globoſa cum tenera, viridia, ac glomulis viridibus decumbentibus imbricatim obtecta, qui marceſcentes ruffeſcunt, floſculis pluribus interjectis concomitantur, & collo ſeu pede parvis inſident *ſeminibus*, quæ orbiculatim *ſtylo* viridi medio communi, intra capitulum inoculantur: ſunt autem illa parva, oblonga, ruffa. Ex integra hac planta, ſi radicem excipias, decoctum præparatur in cardialgia flatulenta, ventriſque torminibus, præſertim ſi *Cumino* pulveriſato, affecta pars aliquamdiu fricetur: fit & ex illa pulvis, qui cum *Oleo* frixus linimentum præſtat contra ſcabiem, alioſque cutaneos morbos; cum *Melle* mixtus tuſſi medetur. Ex inſolata *radice* pulvis conficitur ſtomachicus, qui & inteſtinorum cruciatibus adverſatur: ejus *cortex* cum *ſero lactis* tritus & exhibitis hæmorrhoides ſanat; ab indigenis in confectione potus adhibetur.

Tab. 43.

Quamvis planta *Tab.* 38. ſub nomine *Belluta-Adeca-Manjem* deſcripta, à Cl: noſtro Authore huic adjungatur; tamen inter ſe quam multum differunt, pro ut obſervatu eſt facillimum, hæc à me nuncupatur *Planta Indica alato caule, folio crenato, piloſo & viſcoſo, flore glomerato, purpureo.*

Tsjetti-pú. lat.

ചെട്ടി Mal.

Seúantí

शेवती bram.

قحهطي يو Arab.



Chrysanthemum indicum. L.

TSJETTI-PU.

TABULA XLIV.

LUſitanis dicta *Alóſna de botao*; naſcens in arenoſis, odoris in totum aromatici. *Rami* rotundi, lignoſi, virides, albis lanuginoſis pilis denſe obſiti. *Folia* in oblongo-anguſtas lacinias profunde inciſa, viroris in recta parte ſaturi; in adverſa, valde villoſa, viridi-albicantia, ubi & *coſtæ* villoſæ eminent. *Flores* in petiolis oblongis, rotundis, tenuibus, ramoſis, villoſis, ac viridi-albicantibus, qui bini, terni, quaterni ſupra exortum foliorum erumpunt, plures congregati videntur, ſuntque *gemmæ* virides, ſuperiori parte albicantes; petalis conſtantes cuſpidatis, viridibus, in quorum medio plura ſeſe offerunt viridi-flava *ſtamina*.

TAB. 44.

Conſpeciem eſſe *Matricariæ*, nullus dubito, atque ideo mihi eſt *Matricaria Indica, latiore folio, flore pleno.*

Katú-tsjetti-pú lat.

[illegible] Mal.

قحهطي بو Arab.



Artemisia indica L.

KATV-TSJETTI-PV.

TABULA XLV.

PLanta eſt quatuor quinqueve pedum, arenoſo gaudens ſolo. *Rami* virides, lignoſi, ſuperiori parte ubi teneriores, viridi-ſubcæruleſcentes, nonnihil piloſi. *Folia* quæ in ramis ac ſurculis proveniunt, laciniata, craſſiola, plana, in adverſa parte, ubi *coſtulæ* eminent villoſa, odoris, ut & tota planta, grati, aromatici, ſaporis ſubacris. *Flores* roſæ ſunt plano-rotundæ, ſurculorum ſummitatibus inſidentes, quarum petala oblongo-anguſta, in longitudine plicis ſtriata, ac in illarum tractu, ubi diutius ſeſe aperuerint, ſe findentia, flava, quæ ſingula *ſtamine* concomitantur viridi flavo, ſuperiori parte furcato, quod ex pede folii theciformis emergit. *Capſulæ ſeminales* plano rotundæ ſunt ac virides, tarde ſe aperiunt, adeo ut quatuor quinqueve menſes maneant clauſæ. Planta hac ægrotantis pulvinari ſubſtrata, vitæ periculum indicat, ſi inde ſomnum non capiat æger; *Oleo Zergelim* ceu *Tzit-Elu*, & *vino aduſto* incocta, partique affectæ applicata, empyemata, & reconditos ventriculi abſceſſcus, antequam maturuerint, ſanat, in primis ſi ejuſdem *ſuccus* cum *Melle* bibatur; cum *vino aduſto* & Europæo ſimul ac Malabarico *Marrubio* in formam emplaſtri redacta, & dolenti parti impoſita, *ſpaſmo* medetur; cum *Melle* jejune deglutita hydropen ſolvit. *Radix Oleo Sergelim* incocta, panno inuncta & ſingulis duodecim horis renovata exanthemata purgat; cum *lacteo Nucis Indicæ ſucco* decocta phagedenica curat ulcera; Radicis *cortex* affectæ parti impoſitus, idem præſtat.

TAB. 45.

Ex omnibus circumſtantiis apparet hanc etiam eſſe *Ambroſiam*, atque ideo vocari poteſt, *Ambroſia Malabarica, Artimiſiæ folio odoratiſſimo, floribus flavis.*



Codagén Lat.

കുടങ്ങൽ Mal.

قُحَاضْحَاغْحِهِرْ Arab.

bram.



Hydrocotyle asiatica L.

CODAGEN.

TABULA XLVI.

LInguâ Bramannum; *Ecapani* vel *Undiri*, planta repens. *Radix* ex meris conſtat fibris, capillata, albicans, ſubſalſa, peracris, mordens ut & tota planta. *Caules* hinc inde ex geniculis laterales ejiciunt ac radiculas, quibus ſe terræ affigunt, tenues ſunt, rotundi, aquei, nodulati, raris pilis obſiti, virides, vel etiam ex parte ruffi. *Folia* ex geniculis terna, quaterna, ac etiam quina proveniunt in petiolis longis, paſſim nonnihil tortuoſis, lato ſulco ſtriatis; ſuntque rotunda, in latum extenſa, ad petiolum exciſa, in margine crenata, piloſa. *Coſtulæ*, in adverſa parte eminentes, in recta conſpicuæ, ſex, ſeptem vel octo plus minus excurrunt. *Flores* pentapetali, cuſpidati, purpureo-rubri, in quorum medio *ſtamina* quinque parva, rubris *nodulis* dotata, burſiformibus, planis, ſeminalibus *capſulis* inſident, in quibus duo parva, compreſſa *ſemina*, interſepimento ſejuncta, coloris ſubcinerei. Contrita ac *lacte acido* aſſumpta vertiginem ſedat; cum lacte acido ſpiſſo, *Tayr* dicto, diſenteriam ſiſtit; in aqua decocta febri calidæ ut & doloribus capitis medetur.

TAB. 46.

Videtur hæc herba convenientiam aliquam habere cum *Acaricoba Piſonis*, *lib.* 4. *Cap.* 66. Hiſt. *Nat. Braſ.* deſcripta, ut illi affiniſſima; repens enim planta eſt udis gaudens locis, ut *Cotyledon aquatica Joh. Baub.* quamvis hujus petiolus, folii medium non occupat, ut ille *Cotyledonis.* Sed quoad vires non male conſonat, hoc enim ſapor indicat.

Ána-colúppa lat.

Mal.

Arab.

bram.



ANA-COLUPPA.

TABULA XLVII.

ALtera *Coluppæ* ſpecies; linguâ Bramannum *Adaly*, plantula eſt cum inferiori parte caulium repens, cujus ſuperiores ad unum ſe erigunt pedem, arenoſa amans & petroſa. *Radices* fibroſæ, capillaceæ, ex geniculis caulium erumpentes, ſaporis amari & acris. *Caules* virides, rotundi, ſubaſperi. *Folia* ex nodulis bina & bina videntur, breviora & latiora quam illa prima ſpeciei, crenis inciſa, craſſa, denſa, ſuperficie ſubaſpera, viroris fuſci, ſaporis aquei & amari. *Coſta* cum lateralibus in adverſa parte eminet. *Flores* in capitulis proveniunt oblongo-rotundis, purpureo-rubris, quæ foliolis conſtant parvis, arcte circa ſtylum tenuem intermedium, ſtelliformiter clauſis, ex geniculis ſupra folia erumpentibus, ſuntque *gemmulæ* parvulæ vel albæ nonnihil purpureo-rubræ, tetrapetalæ, quorum unum *capitulo* proxime adjacens bifidum ac minus, duo lateralia majora, quartum maximum; ſemper in uno conſpiciuntur orbe, illis qui ex inferioribus ſcutellis prodeunt emarcidis, ſtatim alii ſuccedunt nullius odoris. *Semina* in hiſce capitulis continentur numeroſa, parva, intra ſtelliformes & folioſos cancellos, intra ſingulos unum; rotunda ſunt, nonnihil plana, in medio in longum ſtriata, coloris primum viridi-diluti, dein albicantis. Morbo medetur ſacro, ſi *ſuccus* cum momento *Piperis* triti bibatur; qui ſolus ictum virulentum ſerpentis *Cobra-Capella* fruſtra facit.

TAB. 47.

Poſſet hæc pro ſpecie *Ranunculi* haberi, quantum nempe ad capſulas attinet ſeminales; florum vero figura multum differt; atque ideo mihi placuit nomen *Ranunculi affinis, planta Indica, floribus purpureis.*

Béna-patsjá lat.

Mal.

Agerú

bram.

Arab.



Heliotropium indicum. L.

BENA-PATSJA.

TABULA XLVIII.

BRamannes dicunt *Ageru*, plantula naſcens in udis. *Radix* albicans, plures emittens fibras, ſaporis ſubacris. *Caules* craſſioli, rotundi, languidi, pilis hiſpidis, ſubaſperis, longis, albicantibus, denſe veſtiti, virides. *Folia* petiolis longis, viridibus, languidis, piloſis, interius planis, ad oras utrinque folioſa anguſta lacinia alatim ſuccinctis, bina & bina proveniunt, novellis caulium partibus paſſim comitata, oblonga, rotundis oris, anterius ſtrictiora, raris angulis hinc inde æqualiter inciſa, valde languida, mollia, pilis albicantibus ab utraque parte denſe veſtita, maxime ubi teneriora, ubi vetuſtiora, ſubaſpera, viroris viridi-fuſci ac ſurdi, male olentia. *Coſta* in utraque parte eminet, in adverſa autem maxime, plures craſſas emittens laterales. *Flores* in ſuperiori parte caulium proveniunt, ubi inflexi, & cuſpide ſunt intorti, ex una parte à qua cuſpis reflexus ſe avertit, in duabus ſeriebus diſpoſiti, parvi, candidi, quinque brevium cuſpidum, ad ſingulos cuſpides, venula ſtriati, collulo brevi, craſſo & piloſo è calyce exſilientes; aperti novellæ florum *gemmæ* albicantes in ipſo cuſpide intorto & valde piloſo conſpicuæ ſunt; odoris nullius. *Calyx* ex quinque conſtat viridi-fuſcis, cuſpidatis ac valde piloſis foliis. Floribus ſuccedunt *capſulæ ſeminales* bifidæ, viridi-fuſcæ, nitentes, vitreæ, fiſſura juxta petioli longitudinem inſtructæ. In ſingulis duo continentur *ſemina*, interſepimentis diſtincta, parva, cuſpidata, ſuperiori parte nonnihil ſcabra, ruffa. Integra planta in *Oleo Nucis Indicæ* decocta, morbum, *Pitao*, dictum exſiccando curat. Idem in virulenti majoris Vulpis (Belgæ dicunt *Jakhalſen*) morſu exhibetur.

TAB. 48.

Heliotropium eſt, & forſan conſpecies illius *Dodarti in ſuis memoires de Plantes*, nomine, *Heliotropium Americanum foliis Hormini*; videtur tamen aliqua intercedere diſconvenientia, inter hanc *Bena-Patsja*, tam cum *Jacua Acanga Braſiliana Piſonis*, quam cum illa ſupra memorata *Dodarti*; quoniam folia (de quibus in præſenti agimus) in omnibus partibus latiora ſunt & majora, quam illius *Heliotropii* ſpeciei adhucdum cognitæ vel deſcriptæ; quapropter hæc nominari poſſet *Heliotropium Indicum, latiore & rotundiore folio.*


Nelámpala Lat.

നിലംപാല *Mal.*

Modágorón

मोडागोरू *bram.*

نطلآم باطحه *Arab.*



NELAM-PATA.

TABULA XLIX.

ARenoſa amat. *Radix* albicans, fibroſa, odoris grati. *Caules* rotundi, piloſi, virides, in latum ſe diffundentes. *Folia* laciniis ſinuatis diſſecta, piloſa, mollia, lenia. *Coſta* media in adverſa parte eminet, ſaporis peracris. *Flores* capitula ſunt rotundo-plana, tum caulium faſtigiis, tum petiolis, ex caulibus prodeuntibus, inſidentia, primùm viridia, dein flava, tandem vel ruffeſcentia, vel ruffo-nigra; in hiſce plurimi conſpiciuntur parvi floſculi, cum *ſeminibus* oblongis ac nonnihil planis, quorum vertici oblongo ſtricto collo inſident, pentapetali, anguſtiſſimi, cuſpidati; è medio *ſtaminulum* ejiciunt: ipſa ſemina baſi capituli, quæ viridis, piloſa, in ſuperiori parte cuſpidibus diſſecta, inoculantur, primò viridia, tandem ruffa. *Pulvis* in phagædenicis prodeſt ulceribus; cum *Caprino* lacte mixtus, faucium dolores mitigat; cum *uvis paſſis* & *butyro* decoctus, antihydropicus eſt, lepram, noxios flatus & cachexiam tollens; cum *Gingibere*, *Pipere* & *Saccharo* diglutitus intemperatam bilem corrigit, epilepſiam, maniam; comæque canitiem abigit.

TAB. 49.

Ex omnibus circumſtantiis non quid aliud potui animadvertere, quam *Jacobææ* eſſe ſpeciem, intra quam numerari debet.

Vánschera – canschábú Lat.

നാഞ്ചെറകാഞ്ചെമ്പു *Mal.*

نانْجارآ كانْجِباوْ *Arab.*

वकणुबपी *bram.*



Gratiola repens. Sw. 2

NANSCHERA-CANSCHABU.

TABULA L.

Lingua Bramannum *Schanga-Cuſpi*; plantula humilis, quæ non niſi tempore reperitur pluvioſo, æſtivo rarius, ac non niſi in locis udis & umbroſis, cujus *radices*, è caule exeuntes, fibræ ſunt tenues & albicantes, dein rubeſcentes. *Caules* ipſi virides, piloſi, angulati, nodulati, ſtriati, formulam referentes theculæ, quæ filamentum laxum, tenue recondit & albicans. *Folia* è caulium nodulis bina & bina proveniunt, iiſque inſident, valde parva, parum oblonga, rotundis oris, in margine tenuiſſime inciſa, raris pilis obſita, cum *coſta* in adverſa parte eminente, ſaporis ſubamari. *Flores* tetrapetali ſunt, difformes, odoris expertes, collo brevi, *calyci* piloſo, viridi, quinque cuſpidatorum foliorum inſidentes, quorum tria petala candida & illorum medium ex candido cæruleſcens, proxime ad collum ſutura flava ceu crocea obſitum, quartum ruffeſcens eſt vel rubro fuſcum. *Stamina* in illis quatuor albicantia, tenuia, bina & bina ad ſe invicem inflexa inter quæ *ſtylus* emicat tenuis, albicans & planus. *Capſulæ* ſeminales oblongæ, rotundæ, viridi-dilutæ, ſuturâ per verticem in longum ſtriatæ, quarum ſtylus craſſiuſculus, cujus ope, mediante membrana tenui, in loculos diſtinguuntur. *Semina* in illis numeroſa, primum viridi-fuſciora, dein ex viridi magis flaveſcentia, tandem fuſca & nigricantia. Trita & cum *lacte* epota, morbos ſanat illius regionis endemios: *ſuccus* expreſſus, cum *lacte dulci* aſſumptus, per vomitum venenum expellit, atque etiam catharticus eſt.

TAB. 50.

Congenus eſt *Veronicæ*, abſque ullo enim dubio illi annumerari debet; à me vocatur *Veronica Indica Teucri-folio*.

Nir-cottam-pála lat.

നീർകൊട്ടംപാല *Mal.*

نير قطّم پال *Arab.*



Euphorbia androsaemifolia

NIR-COTTAM-PALA.

TABULA LI.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* albicans fibroſa. *Caules* lignoſi, intus lactei, geniculati, rotundi, virides & rubeſcentes, qui è geniculis ſemper novos emittunt ſurculos. *Folia* in geniculis geminata videntur, oblongo-rotunda, tenuia, lenia, in recta parte aliquantulum glabra, viroris ſaturi; in adverſa dilutioris, ac ibi pilis ſubtiliſſimis obſita, lactea. *Coſta* in adverſa parte eminet. *Flores* umbellati ſunt, parvi, tetrapetali, in interiori orificio rubro-ſaturi, in ſuperiori parte albicantes. *Stylus* oblongus theciformis, tenuis, *filamentum* transmittens tenue, albicans, *gemmula* nodulatum. *Capſula ſeminalis* ex flore emicat, trilateralis, ſtaminibus brevibus, rubris in vertice dotata, in medio laterum venula viridi fuſciore ſtriata, in ſingulis lateribus unum continens *ſemen*. Integra hæc planta cum aqua *Lanjæ* exhibita mixtionem ſanat cruentam: *foliorum ſuccus* colicum ſedat dolorem.

TAB. 51.

Tithymali genus eſt, omnia enim ſigna conveniunt; ego dicerem *Tithymalus Malabaricus Androſami folio, flore rubro.*



Pootia triflora.

CANSJAN-CORA.

TABULA LII.

ARenoſo gaudet ſolo. *Radix* albicans, fibroſa. *Stipites* lignoſi, tenues, viridi-albicantes, geniculati, cymis inflexi. *Folia* geminata prodeunt, ramis arcte inſidentia, oblongo-anguſta, texturâ tenuia, viridi-diluta. *Flores* in petiolis proveniunt tenuibus, alatis, qui ex ramorum prodeunt geniculis, ac ibi binis, anguſtis, parvis inveſtiuntur foliolis, folio minutiſſimo inſtructi, quod petiolum medium inſtar collaris ſuccingit; de cætero tetrapetali, difformes, albicantes, ac dilutiſſime rubri, tranſparentes, venulis ex ungiculo ſubtiliter ſtriati; *calyce* excipiuntur grandiuſculo, oblongo, arcto, viridi-diluto, viridi-dilutis, venoſis, latis, tenuibus ac tranſparentibus alis ſubſtricto; *ſtamina* in illis quatuor, illorum unum altius emicat croceo-rubra gemma nodulatum; tria reliqua viridi-diluta, flavo-dilutis ceu viridiuſculis, oblongis, ſurrectis *apicipus* dotata. Cum iis ex vertice capſulæ viridis, in calyce folioſo incluſæ, emicat *ſtylus* albicans, plano albicante *capitulo* dotatus. Floribus deciduis, *capſulæ ſeminales*, calyce folioſo inveſtitæ, remanent, quæ cum adhuc viridi-fuſcæ & teneriores, inter alarum interſtitia, exterius cæruleo-viridi colore transparente, viſui ſe offerunt, oblongo-rotundæ, tenuiter compreſſæ, ſubruffæ, folliculis, inſtar *Lupuli* albo ruffeſcentibus; *Semina* in illis numeroſa, rubro-fuſca, nigricantia. Cum *Croco* viridi trita, cutis maculas, in fuſcis albas, in albis hominibus fuſcas aufert.

TAB. 52.

Conſpeciem non habet, vel ſi forſan in ſummis foliis *Perfoliatæ* aſſimilari poſſet, quamvis flores cum illa non conveniant; atque ideo à me nuncupatur *Perfoliatæ affinis Indica, Lychnidis æmula, flore viridi-diluto.*

Tsjérú-párúa lat.

ചെറുപാറുവ Mal.

جهرُوْبَارُوْغ Arab.



Sida acuta. Cavan.

TSJERU-PARUA.

TABULA LIII.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Stipites* rotundi, virides, glabri. *Folia* oblongo-anguſta, cuſpidata, ſerrata; minora verò glabra, lenia, forma foliis *Vren* æmula. *Flores* plures ſimul proveniunt, flavi, pentapetali, transparentes, nonnihil nitentes, difformes: *ſtylus* in illorum medio theciformis, flavus, craſſiuſculus, cui petalorum unguiculi annexi, ſuperiori parte plurimis *ſtaminulis* penicillatim in orbem expanſis circumdatus, quorum *apices* flavi; filamentum transmittens tenue, ex globulo in orificio calycis, in quinque ſtaminula, flavo nodulo dotata, fiſſum. *Calyx* cyathiformis, viridi-dilutus, quinque cuſpidum, quinque viridibus nervulis ſtriatus. *Capſulæ* ſeminales plano rotundæ & in vertice mucronatæ. *Semina* in illis ſex, ſeptem, octo, novem, trilatera, uno rotundiore, duobus planis, coloris cinerei. *Foliorum ſuccus* cum lacteo *Nucis Indicæ coagulo* mixtus, in potiunculæ vel linimenti formam redactus, dolores mitigat nephriticos; *radix* cum aqua communici trita eryſipelati reſtiſit.

TAB. 53.

Cum certo quodam frutice, ex Curacao transmiſſos, cujus nomen *Cabritten kruid*, & a D. D. *Breyne* in *Prodromo ſecundo Gratiolæ affinis fruteſcens Americana, foliis Agerati ſeu Veronicæ erectæ majoris* dicitur, aliquam hæc planta habet ſimilitudinem. Diſcrimen ſi quod interveniret in florum conſiſteret colore, qui in hac flavus, in illa viridi-flavus.

Katú-úren Lat.

കാട്ടുറെലി Mal.

ڠاتوْ ووريْن Arab.



Sida herbacea. Cavan.

KATU-UREN.

TABULA LIV.

SPecies *Uren*, arenoſa amans, altitudine trium quatuorve pedum. *Radix* albicans, fibroſa. *Stipes* pilis ad tactum valde lenibus obſitus. *Folia* in petiolis ſtriatis ac piloſis, formâ ſunt inſtar cordis humani, in oris ſerrata, pilis obſita, craſſiola, mollia, ſuperficie valde lenia, ſaporis ſubacris. *Coſta* cum coſtulis in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. *Flores* in tenuibus parvis ac piloſis videntur petiolis, bini, terni, plures vel etiam ſolitarii, albicantes & ſubflavi ceu lutei, pentapetali, oblongo-rotundi, in ſummitate majoris latitudinis, membranaceæ tenuitatis, pellucidi, venulis in longum oblique ſtriati, ad unguiculos viridiuſculi. *Stylus* viridi dilutus eſt, in vertice *penicillo* numeroſorum tenuium filamentorum, quæ brevia & albicantia, ac nodulis flavis ſunt ornata, inſtructus. *Calyx* piloſus, quinque folius, ſuperiori parte viridi dilutus, in oris viridi fuſcus, in angulis inter cuſpides nervulo eminente ſtriatus. *Vaſcula ſeminalia*, quæ in vertice plana, ac veluti pilis ſtriata, calycis foliis ferme in totum comprehenduntur, in ſuperiori ora numeroſis, rigidis, ſurrectis, ac in orbem pectinatim diſpoſitis ſtaminulis, munita, primùm viridia, dein ruffeſcentia, præ ſiccate per verticem è medio hiantia. *Semina* in illis octo, novem vel decem, in orbem ad ſe mutuo conſita, tribus lateribus circumſcripta, uno rotundo, duobus planis, lacunulis ſtriata, in vertice duobus ſpicatis ſtaminulis dotata; coloris primùm albicantis, dein cinereo fuſci. Integra *planta aquæ* incocta, in totum diuretica eſt. *Radix* in pulverem redacta & cum *Pipere* aſſumta, algidam deprimit febrim. Ex eadem & oleum exprimitur.

TAB. 54.

Katu-Uren ſive *Uren Sylveſtris* ſpecies eſt *Althaæ*, Aº. 1698. ex ſemine ex Curacao transmiſſo non tantum progerminavit, ſed & ſemina ad maturitatem perduxit; ego nomen dedi *Althaæ Americanæ, Betonicæ folio, flore luteo.*

Niruren lat.

നീരൂരി *mal.*

نِيرُوْرِيْ *Arab.*




NIUREN.

TABULA LV.

AReноſo gaudet ſolo. *Radix* albcans fibroſa. *Stipites* ac *rami* rotundi, primò ſpadiceo-fuſci, dein rubeſcentes, pilis minutis, raris obſiti. *Folia* quæ petiolis piloſis, interius planis ac ſpadiceo fuſcis proveniunt, cordis humani formam referunt, in oris ex æquo crenata, pilis raris obſita, nonnihil ſcabra, viroris fuſci & nitentis, ſaporis ſubamari, *coſtis* inſtructa. *Flores* parvi, pentapetali, oblongo-anguſti, coloris in totum flavi; illorum *ſtamina* tenuia, albicantia, ſubflava, flavis gemmulis nodulata; *Stylus* brevis, ex vertice oblongi viridis capituli exiliens. *Calyx* quinque folius eſt & viridi dilutus. *Capſulæ ſeminales* oblongo-anguſtæ, quinque angulares, in vertice tribus bifidis cuſpidibus dotatæ, virides ceu ex parte ſpadiceo-fuſcæ. *Semina* intra ſingula latera numeroſa, in duabus ſeriebus conſita, anguloſa, albicantia. *Folia* una cum *ſeminibus lacti muliebri* admixta ſuccum ſtillant, cujus binæ guttulæ naribus injectæ utili ſternutamento catharros ſolvunt; *Radix oleo* incocta capitique illita cephalæam tollit.

TAB. 55.

Et hæc ſpecies videtur præcedentis; florum vero ſitus minimè convenit, unde inter illas aliqua intercedit diſconvenientia; florum delineatio cum deſcriptione multum diſcrepat, pictoris forſan vel Auctoris culpa.



Nága-pú lat.

നാഗപ്പൂ Mal.

نَغَا پُوْ Arab.



Sida angustifolia Cavan.?

N A G A-P U.

TABULA LVI.

ARcnoſa amat. *Folia* oblongo-anguſta, in oris ſerrata, rigida, glabra, polita, in recta parte viridi-fuſca, in adverſa cinerea, ſaporis ſubaſtringentis, *coſta* media & lateralibus inſtructa. *Flores* in petiolis proveniunt brevibus, pentapetali, rotundi, in oris criſpatim plicati, coloris interroſacei ac violacei, in medio flocculo flavo exornati, ut noſtratum *Roſæ ſylveſtres*, quibus conſimiles. *Fructus* rotundi & globoſi, ſuturis eminentibus quadrangulati; *Capſulæ ſeminales* identidem in vertice ſpiculati ac cuſpidati.

Kilcola-tsjetti lat.



Chiococca malabarica.

KILCKOLA-TSJETTI.

TABULA LVII.

PEtroſa amat & arenoſa. *Radix* fibroſa, ligno albicante ſine corculo, cortice carnoſo, albo-aqueo, nonnihil humido. *Rami* cortice viridi, ligno albicante. *Folia* geminata proveniunt, oblongo-anguſta, rigidiuſcula, denſa, ſolida, glabra, viridi-fuſca. *Coſta* cum coſtulis in utraque parte eminet, maxime in adverſa. *Flores* umbellati, infra ad exortum duobus parvis, oblongis foliolis ſuccincti, fructubus inſidentes, tetrapetali, ſurrecti, oblongo anguſti, rigidi, viridi-fuſci. *Fructus* baccæ ſunt rotundiolæ, cum umbilico eminente ex florum petalis conflato, cortice viridi fuſco, interiori albicante, cartilaginoſo, teneri, pulpâ aqueo viridi; intra pulpam unicum, vel etiam duo continentur *nuclei* candidi. Algidæ febres apozemate ex ſingulis hujus plantæ partibus, admixto *Sandalo*, *Pipere*; vel etiam linimento ex ejuſdem *radice*, affuſo oleo, fugantur vel præveniuntur. *Folia* trita vulneribus immittuntur: Vulnerarium præterea linimentum præparatur ex *radicis cortice*, cum *butyro*, quod etiam in ulceribus adhibetur.

TAB. 56. 57.

Inter quæ genera hæ debeant referri plantæ, ingenuè ignoro, ac peritioribus judicium relinquo.



Euphorbia articulata.

BEN-PALA.

TABULA LVIII.

ARenoſo gaudet ſolo. *Radix* fibroſa. *Rami* rotundi, geniculati, viridi-diluti. *Folia* geminata proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, carnoſa, plana, viridi diluta, quorum *coſta* in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. *Flores* umbellati ſimul cum fructu proveniunt, ſtellularum forma, pentapetali, rotundi, albicantes; quorum corculum viridi dilutum. *Fructus* baccæ ſunt trilateræ, in vertice umbilicum gerentes, viridi albicantes: tria in illis *ſemina*, interſepimentis diſtincta, parum oblonga, albicantia.

TAB. 58.

Planta hæc *Ben-Pala*, quaſi dicas *Pala Alba*, non male cum *Tithymalis* convenit; aſt cum delineator numerum petalorum non bene obſervaverit, quæ Auctor quinque dicit, ille vero tantum quatuor depinxerit, ac in deſcriptione multum deſit, quid verum quid falſum non exquiſite auſim affirmare.

Wellia-codivéli lat.

വെള്ളികൊടുവെലി Mal.

Citia-cúrádi

वीचकुवाली bram.

وَعلِّي قُحَاضُحَاوِهَلِي Arab.



Desmochaeta atropurpurea. D.

WELLIA-CODIVELI.

TABULA LIX.

QUolibet gaudet ſolo; *ſurculi* parum lignoſi, rotundi, glabri, geniculati, in geniculis ad exortum internodiorum ventre rubeſcente extuberantes; *cortice* viridi-ſpadiceo, ex geniculis novos ſurculos geminatos emittentes, qui teneri rubeſcunt. *Folia* in pedunculis brevibus, interius planis ac rubeſcentibus proveniunt, oblongo-rotunda, mollia, flaccida, craſſiola, plana, glabra, viroris fuſci & nitentis quæ tenella rubeſcunt. *Coſta* utrinque eminens in foliis teneris in recta parte rubeſcit. *Flores* in ſurculis ſtriatis proveniunt, ſuntque *ſpicæ* cuſpidatæ, ternæ ſimul junctæ ac unitæ, furculas referentes tricuſpidatas, apertæ autem globulos, rubro miniatis, purpureis nitentibus ſpiculis in orbem adhærentes; petalis conſtant quinque viridibus, cuſpidatis, interius lanuginoſis, venis viridi fuſcioribus intus ſtriatis; *globulus* in illis longiuſculus & albicans, *ſtilulum* è vertice emittens; *ſtaminula* quinque, rubro-purpureo-miniata. In ſingulis ſpicis unicum latet *ſemen* parum oblongum, complanatum, fabaceum, ſpadiceo-nigrum ac nitens. Obſervandum præterea quod ſingulæ hæ ſpicæ, quinque foliorum foliolis minoribus cuſpidatis ſuccingantur, è quibus denſi penicilli rubro-miniatorum prodeunt ſpiculorum, quæ ſpicis matureſcentibus in orbem quaquaverſum ſe expandunt, ſpicas inſtar illis *Bardanæ* vel *Lappæ* efficientes, quæ in inferiori parte grandiores, circa apicem minores ac tenuiores, ubi primum progerminantes rubro-purpureæ ſunt, deinde virideſcentes. Cum *ſero lactis* trita *radix* antihæmorrhoidalis eſt; ejuſdem pulvis inteſtinorum lancinationibus inhibet & medetur.

TAB. 59.

Conſpeciem cum hæc planta non habeat, à me vocatur *Beta folio Malabarica, ſemine lappaceo.*


Kalengi-cansjáua lat.

കഞ്ചാവ *Mal.*

bangi

[illegible] *bram.*

فخانجياواء *arab.*



Cannabis indica. Lam.

KALENGI-CANSJAVA.

TABULA LX.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies ejuſdem nominis, una maſcula, altera fœmina; maſcula linguâ Bramannum *Bangi* vocatur, naſcens in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa, capillata. *Stipes* cum *ramis cortice* viridi, pilis minutiſſimis obſitus; *ſurculi* nonnihil angulati. *Folia* in uno petiolo quina proveniunt, ſeptena & novem; optimè conformata, oblongo-anguſta, in margine ex æquo ſerrata, denticulorum cuſpidibus anteriora verſus converſis, tenuia, mollia, lenia, glabra, ſaporis ſubacris. *Coſta* albicans in adverſa parte eminet. *Flores* plures congregati proveniunt, parvi, pentapetali, ex viridi-diluto albicantes. *Staminula* in illis quinque ſubtiliſſima, tenuibus, folioſis, viridi-dilutis *apicibus*, criſpatim convolutis, dotata. *Calyce* carent ut & fructu. *Folia* inſolata & in pulverem redacta diarrhæam ſiſtunt, ſtomachi debilitatem emendant, morbumque endemium **Pitao* dictum ſanant, bilem temperant: qui etiam pulvis, *Nicotiani* loco fumatus, inebriat; cum illo vero commixtus & in ſuffimigium adhibitus herniis medetur. Comeſta *folia*, geniale ſemen, in concubitu, inhibent, auripigmenti virus enervant. *Flores* ejuſdem ſunt virtutis, qui aliis corroborantibus permixti, trochiſcorum forma, ad genitalium partium corroborationem exhibentur.

* *Pitao* morbus oræ Malabaricæ endemius eſt, ortum ducens ex nimia corporis exercitatione, immodica acidorum ſalſorumque ingluvie, vini aduſti (quod *Araka* vocant) uti & abuſu ex herbæ *Betel*, *Oryzæ* crudæ, lapidumque maſticatione; larga & iterata phlebotomia, ſomno meridiano, ex quo grumoſus pituitoſuſque producitur ſanguis; vires enervat hic morbus, icterum inducit, in oculis inprimis conſpicuum, ut & in lingua, liveſcunt ungues, intumeſcunt pedes & facies; quæ omnia ſymptomata in hoc malo ab incolis obſervantur.



Tsyerú-cansjáúa lat.

ചെറുകഞ്ചാവ Mal.

Tsjáda-bángi

अटवाटी bram.

[illegible] arab.



Cannabis indica. Lam.

TSJERU-CANSJAVA.

TABULA LXI.

Fœmina à Bramannibus vocatur *Tsjada-Bangi*, à priori differt, quod *folia* tantum terna proveniant, nulloſque *flores*, ſed *fructus* ſolummodo ferat; qui *gemmæ* ſunt virides, oblongo-rotundæ, foliaceo intorto cuſpide in vertice prominentes, minutiſſimis pilis obſitæ, coſtulis exterius ſtriatæ, *ſemen* continentes unicum, cinereo fuſcum. Utriusque *folia* largius comeſta mentem movent ac vi inebriandi pollent, in maſcula vero vehementiori. *Fructus* & *ſemina* à Mahometanis expetuntur.

TAB. 60. 61.

Author noſter duas deſcribit ſpecies *Banguæ* vel *Cansjavæ*, quarum una mas, alia fœmina; & ex omnibus hiſce circumſtantiis liquidum foret hanc *Tsjeru-Cansjavam* genuinam eſſe *Banguam Garciæ ab Horto* & *Acoſtæ*, quoniam ſemina proferre dicitur, cum prior tantum flores, nulla ſemina proferat; verum utraque hæc planta non multum diſſimilis *Cannabi*, quarum poſterior *in Pinac. Caſp. Bauh.* vocatur *Cannabis ſimilis exotica.*


Pars 10. Tab. 62.
Nari-patsjá lat.
Mal.
Vasini
सुवासनी bram.
نارِىْ باچيا Arab.

NARI-PATSJA.

TABULA LXII.

HUjus plantæ ſpecies eſt *Beena Patsja*, linguâ Bramannum *Vaßini*, naſcitur in arenoſis & petroſis. *Radix* albicans, ſubruffa, intus lignoſa, odoris haut injucundi, *cortice* ſubacri. *Caules* rotundi, virides, piloſi, foliis hinc inde veſtiti, medulla inſtructi. *Folia* oblongo-rotunda, piloſa in oris, ad exortum non item, acutè ſerrata, mollia, odoris grati. *Coſta* in utraque parte eminet. *Flores* faſciatim proveniunt, capitula ſunt rotunda, ex purpureo rubris conflata filamentis, quæ penicilli inſtar è calyce emicant, in medio *floſculis* cyathiformibus, quinque cuſpidalibus dotata, è quibus *ſtaminulum* ſe exſerit purpureum, vertice candido tenuiori. *Calyx* piloſus eſt, cuſpidatis & anguſtis foliolis. *Semina* minuta, oblonga, plano calycis diſco inſident, in ſuperiori vertice floſculorum collum in ſe recipientia, in ora verticis, pilis albicantibus candidis circumdata, primum flaveſcentia, dein ruffeſcentia. *Succus* cum illo *Herbæ mammæ* ſimul expreſſus, linimentum præſtant antihæmorrhoidale. *Folia* cum lacteo *Nucis Indicæ* ſucco conteruntur, quæ aſſumpta inteſtinorum flatus vellicantes inhibent.

TAB. 62.

[Inter ſpecies pertinet *Conyzæ*, & pro foliorum ſimilitudine à me vocatur, *Conyza Malabarica, Lamii folio, flore purpureo.*

Pú-túmba lat.

പൂതുമ്പ *Mal.*

پُو طُومْبَع *Arab.*



Lavenia erecta Sw.

PU-TUMBA.

TABULA LXIII.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* viridi-diluti, albicantes, tenues, piloſi. *Folia* oblongo-anguſta, in oris ſubtiliter crenata, tenuia, pilis albicantibus obſita, in adverſa parte *coſtis* inſtructa. *Flores* capitula ſunt plana, quæ numeroſis conſtant cæruleo-dilutis floſculis, qui ſinguli ſe in quinque anguſta aperiunt petala. In hiſce *ſtylus* emicat albo cæruleus, *capitulo* oblongo cæruleo ſaturo, quod in vertice albicat dotatus, dein *ſtamen* ejiciens albo-cæruleum bifurcatum, ſed poſtea cæruleo virideſcens. *Calyx* piloſus, viridis, plurium foliorum. *Semina* quorum vertici floſculi inſident oblonga, baſi calycis inoculata. *Succus* ventris dolores mitigat: ex foliis expreſſus liquor cum *Pipere* errhinum præparatur pro maniacis.

TAB. 63.

Parte *nona*, pag. 87. alia deſcribitur planta nomine *Pee Tumba*, cum hac *minimè*, niſi cognomine conveniens; id quod in hoc Opere ſæpius fit & Malabarienſibus familiare eſt; non enim plantarum reſpiciunt genera, ſed quid in medicina valeant & poſſint; quod & *Dodenæus* & alii fecerunt; quæ methodus tamen non bene congruit; inde enim plantæ unius generis à ſe invicem disjunguntur.

Púám-curúndala lat.

പൂവാംകുറുന്തല Mal.

بوآم كُورُونْدِلا Arab.



PUAM-CURUNDALA.

TABULA LXIV.

ARenoſo, terreo & petroſo gaudet ſolo, tota piloſa. *Radix* lignoſa, fibroſa, ſubrufo-obſcura; ſaporis ſubacris. *Caules* rotundi, tenues, viridi-fuſci, leniter ſtriati, parum lignoſi, pilis minutis, raris obſiti. *Folia* oblonga ſunt, in oris angulis prominentibus inciſa, tenuia, laxa, mollia, in recta parte piloſa, ac viroris fuſcioris, in adverſa *coſtulis* eminentibus ſtriata. *Flores* faſciatim proveniunt, gemmæ ſunt oblongæ, coloris in ſuperiori parte cæruleo-purpureo-rubri, ex numeroſis floſculis pentapetalis conformata, è quorum medio *ſtylulus* emicat tenuis, ſuperne bifurcatim criſpatus. *Calyx* ex pluribus conſtans foliolis cuſpidatis, arcte floſculos apprehendit. *Semina* pappoſa ſunt, in ambitu oculi pilis ſurrectis, qui poſtea julos referunt, primum viridia, dein nigricantia. *Succus* in patina bene agitatus oculique illitus, ſuffuſioni reſiſtit; balneum & ex illo præparatur antimaniacum; additis ejuſdem energiæ medicinis febres fugat; globus quoque ex illo conficitur contra ophthalmiam.

TAB. 64.

Magna hæc planta cum *Conyza* habet convenientiam, aſt quoniam ex deſcriptione non pateat folia alicujus eſſe odoris, mihi èſt *Conyza affinis Malabarica, Aquilegii folio, flore purpureo.*

Manam-podam Lat.

മണംപൊടം Mal.

مَعْنَعُمْ يُغْضَامْ Arab.



Elsholtzia paniculata W.

MANAM-PODAM.

TABULA LXV.

IN locis naſcitur humidis. *Rami* geniculati, angulati, cymis inflexi, viridi-fuſci, pilis hirſutis, aſperis obſiti. *Folia* quæ rara proveniunt, ampla, oblonga, ſerrata, pilis obſita; *coſtulæ* in adverſa parte eminentes. *Flores* in duabus proveniunt ſeriebus, quæ ſibi invicem junctæ ex calycibus oblongis, piloſis & viridibus exſiliunt, ſingulæ ad latus, ala parvorum cuſpidatorum, piloſorum ac viridium foliorum, ſcutellatim ſibi mutuo incumbentium concomitatæ; de cætero parvi, tetrapetali, albo purpurei; *ſtamina* in illis quatuor oblonga, barbata, purpurea, candidis gemmulis dotata; odoris ut & tota planta grati & aromatici.

TAB. 65.

Planta anomala eſt; in deſcriptione ſemina deſunt, neque ulla illorum fit mentio.


Kátu-mailósina Lat.

കാട്ടുമയിലൊശിന Mal.

Mailósina

मट्टलोजन bram.

کَاطُوْ مَعیْلُوشِینَا Arab.



KATU-MAILOSINA.

TABULA LXVI.

ARenoſa amat. *Radix* lignoſa, flaviuſcula. *Surculi* rotundi, geniculati, villoſa lanugine, quæ manu facile deteritur, veſtiti, viridi ceu etiam rubeſcente *cortice*, qui deinde ſanguineo ruber evadit, & villoſa lanugine deſtituitur; in geniculis rubris annulis interſtincti. *Folia* ſurculos in geniculis inveſtiunt; valde oblongo anguſta ſunt, parum piloſa, craſſa, denſa, venulis parum in recta parte eminentibus ſtriata; in adverſa *coſta* dotata; ſaporis aſtringentis. *Flores* faſciatim proveniunt; parvæ ſunt ſpicæ, cuſpidatæ, pentapetalæ, argente; in ſingulis, intra hians orificium circa fundum, *capſula* conſpicitur *ſeminalis* nonnihil angulata & cuſpidata, quæ primum viridis, ſed ſeminibus maturis in tria latera ceu foliola relaxata, cum nitore rubeſcens, rubore per argentea ſpicarum petala tranſparente, in tres partes diſtincta, in quibus *ſemina* continentur minutiſſima, quæ primum albicant, dein nigricant. Cum *Nucis Indicæ* ſucco lævigata alexipharmaca in morſu ſerpentis virtute præſtat; præparatur & ex illa apozema *antihypochondriacum.*

Peê-coipa Lat.

പെകൊയ്പ Mal.

Coipa

काइपा bram.

[illegible] Arab.



Illecebrum capitatum. L.

PEE-COIPA.

TABULA LXVII.

ARenoſo gaudet ſolo. *Radix* albicans, fibroſa. *Caules* rubeſcentes. *Folia* caulibus inſident, oblongo-anguſta, alia viridia, alia ex parte vel in totum rubeſcentia, craſſa, ſpiſſa. *Coſta* utrinque eminet. *Flores* ſpicæ ſunt pentapetalæ, cuſpidatæ, albicantes, ſubrubeſcentes, nitentes, nonnihil rigidæ, in medio vena rubra ſtriatæ. *Stamina* in illis albicantia, ſurrecta, quinque rubro-purpureis gemmulis nodulata; in medio *ſtylum* habent; in ſingulis *capſula* videtur ſeminalis, viridi-albicans, unico *ſemine* nigerrimo, nitente, duum convexorum laterum, repleta. Delirium ex endemio (Pitao) malo oriundum ceſſat, ubi tempora, hac *planta*, in *vaccino lacte* & *butyro* cum *Sandalo* trita, illinuntur.

TAB. 66. 67.

Cum nihil certi de his plantis auſim affirmare, peritioribus judicium relinquo.

Muél-ſchevi lat.

മുയൽചെവി Mal.

مُوِهِلْ جِهْوِيْ Arab.

सहदेवी bram.



Cacalia sonchifolia. L.

MUEL-SCHEVY.

TABULA LXVIII.

LIngua Bramannum *Udiram-Panum*, naſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans, odoris, cum ſicca eſt acris haut injucundi. *Caules* tenues, viridi-diluti, nonnihil piloſi, maximè teneriores, parum lignoſi, nodulis interſtincti, è nodulis binos poſſim ejicientes cauliculos. *Folia* ſine petiolis caulibus inſident, oblongo anguſta, utrinque lacinia verſus poſticam partem extenſa, piloſa, maximè cum teneriora, ſaporis ſubdulcis ac tenuiſſimè pungentis. *Coſta* in adverſa parte eminet. *Flores* faſciatim proveniunt, petalis anguſtiſſimis ac veluti capilliformibus, ex capitulis oblongo rotundis, ſuperiora verſus contractioribus ſtriatis, piloſis; coloris ſuperiori parte ſunt purpureo-rubri, de cætero albicantis, odoris expertes; in *capitulis* in quinque anguſta folia apertis, *ſemina* conſident numeroſa ruffo fuſca, oblongo rotunda, ſtriata, circa baſim erecta, ſingula ex oculo penicillum tenuium & albicantium filamentorum ejicientia, è medio vero unicum anguſtiſſimum foliolum; floribus deciduis *ſemina* cum penicillis julos referunt, ſemper floret, temporeque reperitur pluvioſo & æſtivo, etiam in locis irriguis ac udis. Decoctum antifebrile eſt & aſthmaticum. *Succus* ventris ſedat fluctus cum *ſaccharo* aſſumptus. Contrita cum *butyro* apoſtemata maturat & aperit.

TAB. 68.

Conſpeciem non habet & vocari poteſt, *Planta Indica Erucæ folio, caule ambiente, flore piloſo.*

Néla-vága Lat.

നിലവാക *Mal.*

نِيلَا وَاكَغْ *Arab.*



Sida radicans. Cav.

NELA-VAGA.

TABULA LXIX.

PLanta repens, ſurculis numeroſis undequaque in orbem diffuſis, qui ſe hinc inde radiculis affigunt. *Radix* craſſa & lignoſa, cortice albicante, fibris veſtita. *Surculi* rotundi, tenues virides, vetuſtiores cinerei, pilis albicantibus inſtructi, intus lignoſi. *Folia* in petiolis videntur piloſis, in oris ſerrata, pilis albicantibus longiuſculis utrinque obſita, tenuia, mollia, quorum *coſtæ* in utraque parte eminent, maxime in adverſa. *Flores* tenuiſſimis appendent petiolis, pentapetali, nonnihil transparentes, inciſi, unguiculis ſtricti, venis candicantibus & nitentibus ſtriati; ex umbilico *ſtylus* ſe exſerit flaviuſculus, ſuperiori parte, *penicillo* tenuium filamentorum circumdatus, quæ ſingula croceis nodulantur *apicibus*. *Calyx* quinque conſtat cuſpidibus viridi dilutis ac valde piloſis, qui quinque viridi fuſcis ſtriantur nervis, cuſpidum oras fimbriatim obducentibus. *Capſulæ* ſeminales rotundæ, quinque laterales, albeſcentes; *ſemina* in illis quinque, in ſingulis lateribus unum, tenui membrana à ſe invicem diſtincta, trilatera, ſpadicea, nullius ſaporis. Balneum ex hac planta præparatur anticephalicum.

TAB. 69.

Althææ ſpecies eſt.





Phyſalis angulata L.

INOTA-INODIEN CEU *MOETOE.*

TABULA LXX.

TRes hujus plantæ ſunt ſpecies, *Inota-Inodien*; *Pee-Inota-Inodien*; *Inota-Inodien-Valli*; prior Bramannibus *Zera-puti* vocatur; gravis & male olens, arenoſo, petroſo ac terreo gaudens ſolo. *Radix* albicans, fibroſa, capillata, ſaporis ſubamari. *Caules* anguloſi, viridi diluti, tuberoſi, ubi novellos cauliculos protrudunt, pilis raris, minutis obſiti; carne intus humida & viridi. *Folia*, quorum petioli ſulcati, piloſi, unum numero, vel plura ſimul proveniunt, ſæpiſſime novellis ſurculis concomitata, denticulis inæqualibus eminentia, tenuia, mollia, lenia, raris ac brevibus pilis obſita, viroris fuſco-ſurdi. *Coſtæ* in adverſa parte eminent, quæ, ut & folia, amaræ. *Florum* petioli rubro-fuſci & piloſi, ipſi, monopetali ſunt quinque cuſpidati, ſubflavo pallidi, in adverſa parte venula ſtriati, odoris expertes. *Stamina* in illis quinque ſurrecta, ex albo viridi diluta, *apicibus* longis ſurrectis, ſubflavis dotata; *ſtylus* viridi dilutus eſt, ex oblongo, viridi diluto ſe ex ſerens calyce, ſupra ſtaminum apices nodulo viridi prominens. *Calyx* viridis, quinque cuſpidatus, qui deciduis floribus ampliatur in folliculos virides quinque laterales, ſuperiori parte in acumen deſinentes, multo aëre impleti, in ſingulas unica reperitur *bacca* rotunda, brevi & craſſiolo pedunculo baſi folliculi annexa, primum viridis, dein ex viridi ſubflava, intus pulpa ſucculenta repleta, ſaporis ex acido dulcis, edulia. *Semina* in baccis numeroſa, ac ferme ſcutelliformiter inter ſe mutuo poſita, ſingula in dimidiatis quaſi loculis ima parte hærentia, quorum exteriora, ob tenuem fructuum membranam, foris transparent, de cætero plana, coloris albicantis, ſubflavi. *Radix* in coctione olei adhibetur. *Succus* teſticulorum tumores minuit. *Radix* cauſone laborantibus opitulatur; cum *oleo* frixa endemium morbum, *Pitao* dictum, ſanat.



Physalis minima. L.

PEEINOTA-INODIEN.

TABULA LXXI.

CUm priori maximè convenit, rami vero non adeo in latum diffuſi, ſed magis ſurrecti, altitudine primam trium excedens pedum; qui ut *folia*, quæ paulo majora & oblongiora, denſius capillata, ac longioribus pilis obſita: *flores* paulo minores ſunt, ad fundum interius in orbem, quinque notis rubro fuſcis, ſignati: *folliculi* ſtrictiores, baccæ minores, *ſeminibus*, ſed aliquantulum minuſculis, repletæ. *Folia* à Bramannibus in cerimoniis adhibentur. *Fructus* edulii ſunt. *Radices* in aqua decoctæ diabetem infringunt, oris ulcuſcula curant, ſi maſticentur.

TAB. 70. 71.

In multis hæ plantæ conveniunt cum *Solano veſicario Indico minimo* PAULI HERMANNI, in *Catal. Hort. Med. Lugd. Batav.* & cum *Lomarii* PISONIS, quarum ſunt conſpecies; differentia in parvitate fructuum eſt ut & in mutatione folii. Verum cum plures *Solani* ſpecies in præcedentibus ſint deſcriptæ partibus, illis ad pungi debuiſſent, ut & illæ quæ ſequuntur.

Cáca-múllú lat:

കാക്കമുള്ള് Mal.

فحاقحا مُولّحو Arab.

गेकुबरस Bram.



Pedalium murex: L.

CACA-MULLU.

TABULA LXXII.

CAca-Taly ſecundum Bramannes, plantula humilis, gravis & male olens, arenoſa amans. *Radix* fibroſa, exterius crocea, intus albicans & lignoſa. *Caulis* parte inferiori, circa radicem tantum lignoſus & durus, cauliculos ejiciens tortuoſos vel ſimplices, vel etiam hinc inde binos. *Folia*, quorum petioli ſulco ſtriati, oblonga, craſſiola, mollia, criſpa, denticulis inciſa, viridi diluta. *Coſtæ* in adverſa parte eminent, etiam in recta conſpicuæ. *Flores* monopetali ſunt, quinque laciniati, flavo diluti, odoris expertes, calyci parvo inſidentes. Illorum *ſtamina* albicantia, tenuia, parum piloſa, *apicibus* flavis dotata; *ſtylus*, ex rotundo globulo viridi, qui germen fructus eſt, emergens, nodulatus eſt. *Fructus* qui craſſo, parvo, duro ac valde lignoſo appendent pede, in ſuperiori parte rotundioli, in vertice cuſpide parvo inſtructi, in inferiori nonnihil quadrangulati, quatuor ſpinulis duris, lignoſis, aculeatis, ad ſingulos angulos uno, muniti, viridi flavi, ſaporis aquei, unicum in ſe continent *oſsiculum* durum, exterius filamentis lignoſis reticulatim plexis, atque etiam cortici exteriori fructus agglutinatis, pertextum; nucleus albicat. Si in aqua hæc agitetur planta, craſſam illam reddit, viſcoſam ac mucilaginoſam, ut inſtar ovi albuminis appareat. In decocto data pro febribus adhibetur calidis. *Succus* expreſſus cum *Zaccharo* dyſuriam, dolores calculi ut & pectoris ac manuum ardorem, tollit: *Folia* ſiccata & pulveriſata gonorrhæam ſiſtunt; cum *Zaccharo* & *lacte* recenter extracto ad ℥ij uſurpata in omni mala artuum diſpoſitione conferunt: Foliorum ſuccus, uti & aqua viſcoſa calorem in renibus præternaturalem temperat, urinæ ardorem reſtringit, ſtranguriam amovet, calculum frangit.

Cccc TAB.

Tab. 72.

Externa hujus plantæ facies *Solanum* repræſentat; fructus vero cum illo Solani non convenit; planta itaque anomala eſt baccifera, à me vocatur *Solani folio Malabarica, flore monopetalo, flavo diluto colore, fructu quadrangulato. Parte Sexta, Pag.* 33. *Tab.* 19. *Arbor ſiliquoſa* deſcribitur ejuſdem nominis, cum tamen inter ſe quam minimè conveniant; ſciat ergo Lector, ſæpius in hoc opere duas diverſas plantas eodem nomine deſcribi, quo caſu, penitus ignoro; proximum meo judicio eſt, diverſitas dialecti Malabarici quoad articulationem & enunciationem, quæ noſtro Idiomate ea, qua decet exactitudine, non poteſt exprimi.



Solanum nigrum. L. fr. rubro.

NELEN-TSJUNDA.

TABULA LXXIII.

NAſcitur in arenoſis. *Surculi* ſpadicei, virides, parum lignoſi, corculo viridi, quod ſiccum albeſcit. *Folia* quæ hinc inde proveniunt cuſpidata, rotundi ambitus, inſipida, *coſtulis* in adverſa parte eminentibus, quæ rectam ſtriant, obducta. *Flores* ſtellas referunt candidiſſimas, de cætero pentapetali, apices in medio habentes flavum, calyce viridi, nullius odoris. Illis ſuccedunt *baccæ* rotundæ, glabræ, venula transparente per verticem obductæ, ſucculentæ, virides, maturæ aurancei aquei coloris, ſex vel ſeptem faſciatim conjunctæ, numeroſis, albis, planis reniformibus *ſeminibus*, quæ medio interſepimento adhærent, refertæ, ſaporis haut injucundi. De viribus nihil conſtat.

TAB. 73.

Solanum, quantum mihi liquet, hæc eſt *Officinarum acinis puniceis. Caſp. Bauh. in Pinac. Varior*, a noſtro colore fructus diſtinctum, Vires quod in deſcriptione dicantur ignorari a Malabarienſibus, miror, cum in hiſce regionibus, tam vulgares in medicina ſint.



Solanum insanum. L.

NILA-BARUDENA.

TABULA LXXIV.

LIngua Bramannum *Vaënna*, planta eſt humida amans. *Rami* lignoſi. *Folia* laciniata, ſpinis obſita, illis *Schunda* non diſſimilia. *Flores* pentapetali, dilute cæruleſcentes & ſubpurpurei, iidem forma & colore ut illi *Schunda*. *Fructus* oblongo rotundi, glabri, rubro-fuſce purpurei, carne intus albicante & aquea, in eduliis expetuntur. *Semina* in illis conferta, intra carnem conſita. *Oleum* opio ſuper aſſumptum, vehemens venenum eſt, quo in caſu, ut & in ebrietate, *folia*, in *aqua* levigata, cum ſucceſſu propinantur. *Succus* vaccas ab internis abſceſſibus liberat. *Fructus* acu punctus & *oleo Sergelim* incoctus odontalgiæ medetur.

TAB. 74.

Inter ſpecies pertinet *Schundæ* ſecunda parte hujus operis deſcriptæ, ut & præcedentes *Solani* ſpecies, & hæc eſt, *Solanum pomiferum, fructu oblongo, purpureo*, ſeu, *Mala inſana Dodon.* & *Fockii Fockii Bont. lib.* 6. *cap.* 35. de qua Autor ita cecinit:

Fructibus in Patria Solani Narcotica vis eſt:
India at è contra Solanum producit edule;
Deſtituunt Medicum ſic Medica mala ſaporem
Naturamque novam Europæ in finibus illa.
O quoque ſit utinam! vehimur quum per mare ad Indos;
Longum iter; infames liceat deponere mores!

Andi-malleri lat.

അന്തിമലരി Mal.

Cudráxa

कुद्राक्ष bram.

انظي مالهري Arab.



Mirabilis Jalappa. L.

ANDI-MALLERI.

TABULA LXXV.

SEcundum Bramannes *Eudraxa*; tres quatuorve hujus plantæ ſunt ſpecies, colore tantum in floribus differentes; hæc noſtra arenoſo gaudet & terreo ſolo, toto anno floribus luxurians & onuſta. *Radix* craſſiola, albicans, fibroſa, capillata, denſa albicante aquea carne repleta. *Caules* viridi-diluti, glabri, pilis tenuiter obſiti, geniculati, ad geniculos ventricoſo tubere exturgeſcentes, intus aquei, filamentis lignoſis raris, pertexti. *Folia* haſtiformia ſunt, lateribus vel uniformibus, vel uno latius exporrecto; cuſpide vel recto vel inflexo, languida, tenuia, lenia, *coſta* in adverſa parte eminente inſtructa. *Flores* in cacumine ſurculorum plures congregatim proveniunt, pentapetali, oblongo collo, flavi, circa collum ex flavo dilutiores, venula flava nitente, quæ exterius nonnihil eminet, ex collo ſtriati, de die clauſi ac vertice criſpatim convoluti, circa veſperam aperti. *Stamina* in illis quinque flava, ex orificio floris emicantia, rubris dotata gemmis, collo inferius inſerta. *Stylus* flavus eſt & altius emicat, cujus capitulum rotundum, ex rubro flaviuſculum. *Calyx* laxus, quinque folius. Deciduo flore *ſemen* ſe prodit unicum, globuloſum, meditullio calycis profunde & arcte inſidens, nigrum, velut atramento ſuffuſum, puſtulis eminentibus, etiam cum viride, exaſperatum, quinque coſtulis extuberans, cortice craſſo & duro; *nucleus* albicat, flava obductus membrana.

Eſt & *Andi-Malleri*, quæ floribus eſt candidis, in quibus *ſtamina* candida, *apicibus* flavis nodulata; *ſtylus* itidem candidus, capitulo rubro dotatus.

Eſt & tertia *Andi-Malleri*, floribus, purpureo intenſiſſime rubentibus.

Floribus gentiles in cerimoniis utuntur.

TAB. 75.

Solanum eſt *Mexicanum, flore magno Caſp. Bauh. in Pinac.* & *Mirabilis Peruviana, flore flavo.* Florum color diverſimode variat, prout Author noſter bene annotavit; hiſce in regionibus nomine gaudet *Merveille de Peru*, ac apprime notum eſt.

Nága-dánti lat.

നാഗദന്തി Mal.

Dánti

दाति bram.

Arab.



Jatropha montana W.

NAGA-DANTE.

TABULA LXXVI.

NAſcitur in arenoſis & petroſis. *Stipes* craſſus. *Rami* virides intus medulla inſtructi. *Folia* in petiolis proveniunt oblongis, rotundis, piloſis, oblonga, in cuſpidem oblongum deſinentia, in oris dentibus eminentia, pilis hirſutis utrinque obſita, aſpera. *Coſtæ* in utraque parte altum eminent. *Flores* plures congregati proveniunt, gemmæ ſunt parvæ, quarum petala ſurrecta, quæ ſuperiori parte ex viridi flaveſcunt. *Stylus* trifurcatus eſt & viridi dilutus, cujus furculæ ſuperne latiores & in medio bifidæ. *Fructus* trilaterales ſunt, quorum ſingula latera rotunda, in medio ſutura ſtriata, in vertice ſtylo florum trifurcato, cujus furculæ ſuturas lateris recipiunt, dotati; cuticulam habent tenuem ac viridi-fuſcam, quæ cartilagineum, craſſum ac durum involvit corticem, intra quem tria, in diſtinctis loculis continent *ſemina*, oblonga, exterius convexa, coloris ſpadiceo-rubri, capitulo candido in vertice ornata. *Folia*, *radix* atque fructus, tanta purgandi pollent energia, ut ſolus odor catharſin excitet: *folia* extrinſice applicata articulari medentur morbo.

TAB. 76.

Inter ſpecies pertinet *Avanacu* vel *Ricini* ſecunda hujus Horti Parte deſcripti, & eſt *Ricinus Indicus*, *ſemine ſpadiceo rubro minore*.

Cottám lat.

കൊട്ടം Mal.

قُطَّامْ Arab.

पाचु bram.



Mentha perilloides. L.

COTTAM.

TABULA LXXVII.

EJus plantæ tertia ſpecies, lingua Bramanum *Padſo*, naſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* virides, lignoſi, quadrati, nodulati. *Folia* bina & bina proveniunt, oblongo-rotunda, in margine denticulis leniter inciſa, tenuia, mollia, ſaporis ſubacris & ſubamari. *Coſtæ* utrinque eminent, maxime in adverſa parte. *Flores* verticillati ſunt, tetrapetali, candidi, tenuiſſimi, nonnihil exteriora verſus reflexi, calyci arcte inſidentes; *ſtamina* in illis quatuor candida, tenuia, barbata, pilis lanuginoſis tenuiſſimis, candidis, apicibus ſubviridibus in vertice dotata; *ſtylus* bifurcatus eſt; odor gratus. *Semina* in calycibus oblongis reperiuntur parva, rotunda, parum plana, rubro-fuſco-nigra. *Radix* trita & aqua mixta lavamentum præſtat adverſus oris tumores & puſtulas. *Folia, flores* & *fructus* contrita & oleo permixti linimentum perhibent contra tumores.

TAB. 77.

Tertiam hanc Author noſter nominat ſpeciem *Cottam*; quarum duæ, *Scherunam Cottam Part.* 2. *Pag,* 23. *Tab.* 16. & *Schageri-Cottam Part.* 1. *Pag.* 105. *Tab.* 56. quæ ſpecies ſunt *Cornu*, ut ex illarum annotationibus apparet, jam antea ſunt deſcriptæ. Sed hæc noſtra minime cum præcedentibus convenit, illæ enim *Arbores* ſunt *Pruniferæ* & hæc *Herba flore verticillato ſuaveolente*; atque ideo inter ſpecies *Nepetæ* recenſeri debet, atque exinde vocari *Nepetæ* ſeu *Menthæ Cattariæ affinis Indica candido flore.*

Cadelári Lat.

കടെലാടി mal.

قحاضحهل هاضجي Arab.

काटेमगतो bram.



Achyranthes aspera. L.

CADELARI.

TABULA LXXVIII.

DUæ hujus plantæ ſunt ſpecies, una ejus nominis, altera *Cheru-Cadelari*; prior Bramannibus *Cante-Mogaro* dicitur, naſcens in petroſis. *Radix* quæ recta ſe demittit ex ruffo albicans eſt, tenui cortice veſtita, ligno albicante. *Stipites* & *rami* nodoſi ſunt, virides ac rubeſcentes, brevibus obſiti pilis, ex nodis, ſurculos paſſim binos ejicientes, qui ſtriati ſunt & tenues. *Folia*, quæ tenera in margine rubeſcunt, ſurculorum nodis breviſſimis petiolis inſident, rotundiola, parum oblonga, piloſa, craſſiola, mollia. *Coſta* cum coſtulis utrinque eminet. *Flores* ſpicæ ſunt parvæ, oblongo-anguſtæ, cuſpidatæ, glabræ, virides & nitentes, inferiora verſus reflexæ, odoris expertes. *Cauliculus* cui inſident trium eſt foliorum cuſpidatorum, quæ in inferiori parte purpureo rubeſcunt & nitent. *Semen* in ſingulis ſpicis reperitur unicum, oblongo rotundum, primum albicans, deinde rufum. Decoctum tumores & dyſuriam tollit, calculi dolores mitigat; cum oleo *Sergelin* ſanguinis mictionem ſiſtit. *Radix* cathartica eſt; trita & cum *butyro* decocta diſenteriæ medetur; decoctum ex illa præparatum ſtomachum confortat, flatus diſſipat, phlegmata corrigit, calculos veſicæ infringit; brachio alligata antifebrilis eſt, modo intermittentes ſint & cum frigore invadentes; trita & cum mero aſſumpta calculoſis prodeſt, urinam ciet, præcipue in hydropicis; cum *limone* trita impetigines, tumores ſub maxillis & ſub mento obortos abigit: *ſemina* trita & naribus immiſſa capitis ſedant dolorem.

TAB. 78.

Jacobus Bontius Hiſt. Nat. Lib. 6. Cap. 54. delineationem nobis dedit, ſine deſcriptione, *Verbenæ Indicæ*, quæ, tam quoad figuram quam vires medicas examinata, non aliud quid potui judicare, quam cum hac *Cadelari* eandem eſſe plantam, atque ideo mihi eſt *Verbena Indica Bontii.*

Scherú-cadelári lat.

ചെറുകടലാടി Mal.

جحهرو فعط هلحارث Arab.

काटेमगन bram.



Achyranthes argentea. Lam.?

SCHERU-CADELARI.

TABULA LXXIX.

SEcunda ſpecies Bramannibus *Dacolo-Cante-Mogaro* dicitur, naſcens in arenoſis. *Radices* fibroſæ, albicantes, ex *caulium* nodis inferioribus, prodeuntes; qui tenues, angulati, geniculati, circa geniculos in exortu nonnihil extuberantes, virides, vel cum teneri, rubeſcentes, pilis brevibus obſiti. *Folia* minora ſunt illis primæ ſpeciei, oblongo rotunda, pilis raris utrinque, maxime in adverſa parte obſita, tenuia, mollia, in oris nonnihil rubeſcentia. *Coſta* in utraque parte eminet, plurimum in adverſa parte. *Flores* ſpicatim proveniunt, quorum ſpicæ minus oblongæ & rotundiores, brevibus pilis obſitæ, pentapetalæ, filamentis purpureo rubris nitentibus, dotatæ, capitulo, quod & *capſula ſeminalis* eſt, aliquantulum cuſpidato. *Semen* in ſingulis ſpicis reperitur unicum, illi prioris ſpeciei, ſimilimum. Contrita & *oleo* permixta urinam corrigit purulentam, reliquæ virtutes ut illæ *Cadelari.*

TAB. 79.

Mihi eſt *Veronicæ ſimilis ſpicata Indica repens.*


Belútta-módela-múccú lat.

വെളുത്തമൊടെലമുക്കു Mal.

Sisorí

सिसोरि bram.

arab.



Polygonum amphibium L. terrestre !

BELUTTA-MODELA-MUCCU.

TABULA LXXX.

CIrca ripas naſcitur fluminum. *Caules* geniculati, ex geniculis, qui folioſis inveſtiuntur involucris, novellos emittentes caules. *Folia*, quorum pedunculi plani & albicantes, in geniculis proveniunt, oblongo anguſta, cuſpide oblongo anguſto, tenuia, mollia, manui verſus inferiora mota adhærentia, aſpera. *Coſta* in adverſa parte parùm extuberat. *Flores* ſpicati proveniunt, pentapetali, candidi. *Stamina* in illis totidem tenuia, candida, rubris *apicibus* nodulata. *Semen* in ſingulis ſpicis continetur unicum, ex ſpadiceo nigricans, brevi cuſpide in vertice inſtructum. Totius plantæ, ſi radicem excipias, *ſuccus*, cum *Oleo Sergelim* decoctus, linimentum præſtat cephalicum, etiam in narium hæmorrhogia applicandum. Tenella *folia* cum *Oryzæ* lotura in potiunculam redacta, humorem, *Paddave* dictum, minuit.

TAB. 80.

Propius referre non potui niſi inter *Herbas flore tetrapeloide anomalas*, & quidem inter ſpecies *Lyſimachiæ*; atque ideo à me vocatur *Lyſimachia Indica Salicis oblongo folio, flore albo ſpicato.*



Cúpaméni Lat.

കുപ്പമേനി Mal.

كُوبَامِهْنِي Arab.

माउपाउडि bram.

Acalypha indica. L.

CUPAMENI.

TABULA LXXXI.

TRes hujus plantæ ſunt ſpecies, prior *Cupameni*, altera *Pee-Cupameni*, tertia *Welia-Cupameni* dicitur, à Bramannibus eodem nomine *Maſeraſeſade* inſigniuntur; præſens noſtra naſcitur in arenoſis altitudine trium quatuorve pedum. *Radix* parva eſt & tenuis, albicans, ſubruffa, odoris haut ingrati, ſaporis ſubamari. *Caules* tenues, rotundi, virides, breviſſimis pilis obſiti, cortice ſubamaro. *Folia* vel majora ſunt vel minora, majora in petiolis proveniunt tenuibus ac viridibus, rotundiola, brevi cuſpide eminentia, in margine ſerrata, tenuia, ſubamara. *Coſta* cum coſtulis etiam in recta parte aliquantiſper eminet. *Flores* ſpicatim petiolos ambiunt gemmulæ ſunt rotundæ, parvæ, viridi dilutæ, albicantes, quæ in petala ſe aperiunt minutiſſima; petiolorum floriferorum ſummitati *thecula* inſidet bicornea. *Capſulæ ſeminales* viridi-fuſcæ, trilateræ, tenuiter piloſæ, ex tribus veluti globulis conflatæ, ex vertice *filamenta* emittentes ac cum iis *folia* minuſcula, cochleata, inflexa, in ſuperiori ora cuſpidibus eminentibus inciſa. *Semina* in capſulis tria, interſepimentis diſtincta, parva, rotunda, primum albo-flava, dein rubeſcentia, tandem nigricantia. Floret toto anno, maxime menſe Januario. *Succus* cum *oleo* decoctus linimentum eſt anti-arthriticum, dolores è lue venerea exortos tollit, ut & impetigines; cum *calce* permixtus idem in morbis præſtat cutaneis. *Radix* trita & cum aqua calida aſſumpta cathartica eſt. *Folia* trita & cum aqua epota ventrem laxant; illorum decoctum auribus immiſſum earundem mitigat dolorem.

TAB. 81.

Mihi hæc planta eſt *Urtica folio, flore albicante ſpicato, cui paſſim thecula bicornea inſidet, foliis in ſummitate caulem ambientibus.*

Pee-cúpaméni *lat.*

പെക്കുപ്പമെനി *mal.*

بجهم قويامهني *arab.*

मजमाउाडा *bram.*



Tragia Mercurialis. L.

PEE-CUPAMENI.

TABULA LXXXII.

QUaſi dicas *Pee Sylveſtris*, cum priori in omnibus pene convenit, at hæc *caulibus* magis piloſis, *foliis* majoribus & oblongioribus appendentibus. *Flores* etiam ſpicati, ſed paulo majores ſunt gemmulæ; ut & *capſulæ ſeminales*, quæ tamen magis piloſæ, & folia cochleata minora, piloſa, in oris dentibus confertioribus inciſa. *Semina* eadem. Sapor ut præcedentis.

TAB. 82.

Pro conſpecie *Cupameni* à Clariſſimo noſtro Authore ponitur, maxima tamen inter illas intercedit differentia; nominari meo judicio poſſet; *Urticæ folio Indica, flore tetrapetalo ramoſo, capſulæ triquetri.*

Wélia-cúpaméni Lat.

വെളിയകുപ്പമെനി Mal.

Maſará

माडाचा bram.

والباقحوتيا بهني Arab.



Tragia mercurialis var. minor. L.

WELIA-CUPAMENI.

TABULA LXXXIII.

CUm prioribus ex omni parte convenit. Integræ hujus plantæ partes in nodulum colligatæ, infectæ parti calide applicatæ, venenum, cucurbitularum inſtar, extrahunt; eandem ob cauſam foliorum pulvis in aqua *Oryzæ* levigatus temporibus fricando applicatur. *Succus* Oleo *Sergelim* permixtus, eryſipilati medetur, hæmorrhoidibus, ventris cruciatibus, Malabaribus *guinao* dictis.

TAB. 83.

Cum præcedentibus magnam habet ſimilitudinem, aſt quoniam imperfecta eſt deſcriptio, nihil de illa judicare nec potui, nec volui.



Ocymum polystachyum L.

PERIM-TOLASSI.

TABULA LXXXIV.

IPſiſſima eſt *Tirtáva*; lingua Bramannum *Gandarli*, naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa & nigricans. *Caules* quadrangulati, in ſingulis lateribus ſulco ſtriati, geniculati, raris pilis obſiti, è geniculis duos paſſim ejicientes cauliculos. *Foliorum* petioli ſtriati, nonnihil piloſi; ipſa rotunda lata, anterius alia magis, alia minus cuſpidata, dentata, tenuia, odoris minus vegeti, ſapore acri. *Coſta* in adverſa eminet parte. *Flores* ſurculos tenues, qui paſſim terni ex nodis ſuperioribus caulium erumpunt, foliis parvis interſperſis, verticillatim cingunt, cærulei, bipetali, petalorum unum in quatuor foliola inciſum. *Stamina* in illis quatuor cæruleo albicantia, quorum *apices* itidem cæruleo-albicantes, ut & *ſtylus* qui inſuper bifurcatus. *Semina* in calyce continentur, rotunda, rubro fuſca ut illa *Cattu-tritava*; non niſi tempore invenitur pluvioſo.

TAB. 84.

Quia cum *Scrophularia aquatica majore Bauh. Pin.* hæc planta videtur convenire, ideo nomen dedi *Scrophularia Indica, radice fibroſa, floribus cæruleo albicantibus.*

Nála-tirtáva lat.

[illegible] Mal.

[illegible] Arab.

तुळसी bram.



Ocymum virgatum Thunb.

NALA-TIRTAVA.

TABULA LXXXV.

LIngua Bramannum *Talaſſi*, naſcitur in arenoſis, ac ut *Cattu-tirtáva* & *Soladi-tirtava* perennat, ſemper florens, maxime tempore pluvioſo, odoris grati. *Radix* fibroſa, nigricans, plurimas fibras capillatas ejiciens. *Caules* & *ſurculi* quadrati, ſtriati, nodoſi, lignoſi, cortice rufo, teneriores virides ceu rubeſcentes, capillati. *Foliorum* petioli rubeſcunt, capillati ſunt & languidi; in quibus bina & bina, vel plura congregatim proveniunt. oblongo anguſta, cæteris ſpeciebus minora, in margine denticulis inciſa, tenuia, mollia, in adverſa parte, ubi *Coſta* eminet, tenuiter piloſa, ſaporis acris. *Flores* ſuperiorem ſurculorum partem parvis interſperſis foliis verticillatim cingunt, in ſingulis verticillis ſex, parvi, bipetali, quorum unum in quatuor foliola inciſum, oblongo-rotundi, albicantes & ſubpurpureo rubri. *Stamina* purpurea ſunt, tenuia, ſupra petala emicantia, quorum noduli flavi; *ſtylus* purpureo ruber eſt & bifurcatus. *Calyx* ad caulem transverſum ſitus, profundus, in orificio quatuor cuſpidibus eminens. *Semina* in fundo calycis quatuor, quinque vel plura, in orbem ſita, parva, oblongo rotunda, primum albicantia, tum flava, tandem nigra. Species extat *Tirtava* quæ caulibus ſurculiſque & foliis eſt viridi dilutioribus, cujus novelli ſurculi non rubeſcunt. *Flores* in decocto dati, addita *Cæpa* febri medentur calidæ; cum *ſeminibus* ſimul triti, addita aqua roſacea & momento Muſcati, flatus diſſipant.



Ocymum gratissimum. L.

CATTU-TIRTAVA.

TABULA LXXXVI.

SEcunda ſpecies *Tirtavi*; linguâ Bramannum *Rana-tolaſsi*, planta eſt altitudine quinque vel ſex pedum naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa, nigricans. *Caules* quadrangulati, tenuiter piloſi, ſulco ſtriati, geniculati. *Folia* tum bina, tum quaterna, vel etiam ſolitaria proveniunt, valde lata, rotundiola, nonnihil oblonga, in margine ſerrata, tenuia, majora quam illa primæ ſpeciei, odoris valde fortis & grati, ſaporis acris. *Coſta* cum venulis in recta parte conſpicua, pilis tenuiter obſita. *Flores* iidem, ſed albicantes, & in petalo inciſo ex albo ſubvirides. *Stamina* illorum albicantia quatuor, quorum *apices* ut & *ſtylus* bifurcatus etiam albicat. *Calyces* majores ſunt & inflexi, in apice petali linguiformis nervo ſtriati. *Semina* rotunda, rubro fuſca ad ſpadiceum vergentia. *Oleum* ex radice per deſtillationem extractum tenuiſſimum eſt, clarum ac parum virideſcens, ſaporis peracris, ſimul cum aqua aſcendit & illi ſupernatat. Balneum ex decocto præparatur pro doloribus ventris. *Radix* decocta febri medetur pituitoſæ: *oleum* è radice extractum pectorale eſt, ciborum concoctionem promovet, corruptionem jecoris impedit, urinam ciet, confertque in ſtranguria, podagra, pleuritide, phlegmaticos ac pituitoſos humores expurgat, flatus diſſipat; circa tempora unctum capitis ſedat dolores.

Soladí – tirtáva Lat.

ശൊലാദിതിർത്തവ Mal.

طُولَاڍِي طُورْطُوۏ Arab.

तुळसी bram.



Ocymum Basilicum. L.

SOLADI-TIRTAVA.

TABULA LXXXVII.

Lingua Bramannum *Bui-Tolaſſi*, cum prima ſpecie in omnibus pene convenit. *Caules* rotundioli, lignoſi, ruffi & in ſuperiori parte, ubi pilis albicantibus obducti, nodulati; teneriores virides ſunt, quadrangulati, ſtriati & magis piloſi. *Folia* paulo latiora ſunt, tenuia & ſubtilia, in adverſa parte, quam *coſtæ* albicantes leniter ſtriant, piloſa. *Flores* iidem, *ſtamina* vero cum ſuis *apicibus* candida ſunt; *ſtylus* purpureo ruber, ubi bifurcatus eſt, albus. *Calyces* verſus inferiora magis reflexi & piloſi. *Semina* ut illa *Nala Tirtava*, colore ut illa *Cattu-Tirtava*. Eſt & alia ſpecies, ab hac non differens, præter quod *caulibus* ſit rubrofuſcis & foliis viridiobſcuris, & floribus ex albo rubeſcentibus. Toto reperitur anno, ſemper florens, ex omnibus ſpeciebus ſola ſacra & Deo *Viſtnu* dicata, maximoque in honore, adeo ut Bramannum nullus ſit, qui hanc ſecum non ferat plantam. Vires eædem ut illæ *Cattu-tirtava*.

TAB. 85. 86. 87.

Omnes hæ plantæ aliquam inter ſe habent convenientiam, atque inter *Schrophularias Indicas radice fibroſa* referri poſſunt.

Tsjadaén lat.

ചടൈയൻ Mal.

Tsjaló

वाडो bram.

چیامنجابهن Arab.



Nepeta amboinea L.?

TSJADAEN.

TABULA LXXXVIII.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* plurimis fibris capillatis veſtita, albicans. *Stipites* & *ſurculi* geniculati, quadrangulati, in lateribus lyra ſtriati, cortice viridi ac piloſo veſtiti. *Folia* ex geniculis paſſim bina & bina, in petiolis viſuntur piloſis, inferiora cæteris ſunt majora; de cætero oblonga, valde mollia, lenia, lanuginoſa, crenata, ſaporis acris, odoris grati. *Flores* verticillati ſunt, difformes, parvi, ſurrecti, tripetali, ſe mutuo obverſi, *collo* oblongiuſculo, *calyce* profundo, quorum anterius coloris eſt purpureorubropallidi in laciniis, infra illas albicantis, interius piloſum eſt ac proxime ſub laciniis purpureo pallidum; tertium quod & minimum nonnihil cuſpidatum eſt, cochleato cavum, viridi dilutum & albicans. *Stamina* in illis quatuor albicantia, tenuia, barbata, petalo cochleato accumbentia, ac ejus unguiculis inſerta, *apicibus* parvis, rotundiolis, purpureo rubris, dein nigricantibus dotata; *ſtylus* albicat & bifurcatus eſt. *Calyx* profundus eſt & piloſus ceu lanuginoſus. *Capſulæ ſeminales* oblongæ, lanuginoſæ, quinque angulatæ. *Semina* quæ in calyce aperto conſpiciuntur, in illius fundo continentur quatuor, parva, rotundiola & compreſſa, trilatera, nitentia, primò viridiclara, dein nigra. Semel quotannis floret & fruget, tempore nempe pluvioſo; odoris in totum ſuavis & aromatici. Integra *planta*, excepta radice, pro balneo adverſus frigidas adhibetur febres, inſervit & ſive in potu vel balneo, cum univerſali, tum cephalico, ſimul pro mania. In *aqua* decocta oris præſtat collutionem, quæ infantum tollit aphtas.

TAB. 88.

Si quando hæc planta in omnibus conferatur cum *Cardiaca Americana Annua, Nepetæ folio, floribus brevibus, phæniceis villoſis Herman. in Catal. Hort. Lugd. Bat.* plane eadem eſſe deprehendetur; ſi tamen aliqua intercederet differentia, tantum in colore eſſet florum, modo ille in hac deſcriptione bene ſit expreſſus, nam cætera omnia conveniunt; quantum ad me nominari poſſet *Cardiaca Aſiatica Nepetæ folio, floribus brevibus, purpureis, pallidis.* Experientia enim me docuit quamplurimas Indiæ Orientalis plantas etiam in America reperiri.

Katú-tsjería-mánga-nári lat.

ചെരിയമങ്ങനാരി Mal.

Ambúlí

आवुली bram.

جهريا منغي ناري Arab.



TSJERIA-MANGA-NARI.

TABULA LXXXIX.

CUm *Valli-Mango-Nari* ferme eadem, naſcitur in arvis. *Folia* quæ in geniculis caulium proveniunt, ac caulibus inſident, qui tenuiores ac rubeſcentes, oblongiora ſunt & ſtrictiora, anteriori parte ad medium uſque acutis angulis profundis crenata, adeo ut in duo triave ſæpius reſolvantur folia. *Flores* parvi ſunt, albi, tetrapetali, oblongo largoque collo, ventre nonnihil plano & inflexo; petalorum tria oblongo anguſta & anguſtiora,in totum candida, quartum duplo latius, magis rotundum, duabus rubris notis maculatum, circa collum flava lanugine obſitum, exterius venis rubeſcentibus ſtriatum. *Stamina* in illis quatuor candida, *apicibus* candidis nodulata, quorum duo alte eminent, duo depreſſiora ſunt. *Stylus* albicat, anterius complanatus. *Calyx* quinque cuſpidatus, duobus foliis cuſpidatis ſuccinctus, largis, candidis, nitentibus, pilis, barbatim obſitus. *Capſulæ ſeminales* rotundo-oblongæ, in calyce velut ſacculo in totum incluſæ, duabus ſuturis ſulcatæ, duabus ſubtiliſſime ſtriatæ. *Semina* in illis parva, numeroſa, ſtylo medio circumpoſita, primùm viridifuſca, dein nigerrima & nitentia. Tota planta odoris maximè acris & fragrantis, præſertim in foliis, odorem fructus *Mangæ*, perinde ut *Vallia-Manga-Nari*, æmulans, quem tamen ſuperat. Cum *Carinta-Tali* & *Codagen*, in *ſero lactis* decocta, morbo, *Pitao* dicto, medetur. *Succus*, cum *Gallis* (qui Malabarenſibus *Ari de Bengala* dicuntur) pulveriſatis, ſuper craticulam toſtus, ac denuo in pulverem redactus, ventrem laxat.

Kátú-kúrka lat.

കാട്ടുകുർക്ക mal.

Saikiló

साईकिलो bram.

قفطو نخورفحا arab.



Lavandula carnosa. L.

KATU-KURKA.

TABULA XC.

NAſcitur in arenoſis. *Radix* albicans, fibroſa, odoris acris, grati. *Caules* viridi albicantes, quadrangulati, geniculati, teneriores magis rotundi, intus aquei. *Folia* oblonga, lata, in oris crenata, craſſiola, piloſa, lenia, intus aquea, in adverſa parte *coſtis* craſſis ſtriata, *Nepetæ* foliis ſimilia. *Flores* in vertice caulium in capitulo oblongo congregati proveniunt, folio viridi, cuſpidato, reflexo, ſuccincti, monopetali, cochleato cavi, duabus brevibus auriculis ad latus circumpoſiti, perſico aureo pallidi; odoris grati, ut *Nepetæ* ejuſque generis, ſed ſylveſtris. Univerſale corporis linimentum ex hac planta, cum *ſucco corticis Lanjæ* levigata, conficitur, ad inhibendum virus ſerpentis, Malabaribus *Polega* dicti, ſi vero veneno infectum corpus ita infletur ac æſtuet, ut extra vaſa exſiliat, inſeſſus ex decoctione hujus plantæ adhibetur.

TAB. 90.

Ex hujus deſcriptionis circumſtantiis liquet, herbam hanc ſpeciem eſſe *Menthæ Cattariæ* vel *Nepetæ*; atque ideo à me vocatur *Nepeta Indica rotundiore folio.*

Túmba Lat.

Mal.

طومباء Arab.

तुबे bram.



Phlomis Zeylanica L.

TUMBA.

TABULA XCI.

TUmbæ tres ſunt ſpecies; una ejus nominis; altera *Kattu-Tumba*; *Carim-Tumba*. Prior à Bramannibus eodem inſignitur nomine. *Radix* ex plurimis longis, capillaceis conſtat fibris, coloris non injucundi, ſaporis amari. *Caules* & *ſurculi* tenues, virides, ſubaſperi, nonnihil piloſi, quadrangulati, ſtriati, geniculati, medulla inſtructi, quæ in ſuperioribus ceu tenerioribus aquea, in imis ceu vetuſtioribus alba. *Folia* nodulis caulium inſident bina vel ſola, oblongo anguſta, ſubaſpera, in margine denticulis inciſa, in adverſa parte nervulis ſtriata, odore forti, ſapore valde acri & ſubamaro. *Flores* ex capitulis ſpicatis prodeunt, vel etiam foliis interſperſis caulem ambiunt, ſemperque apici caules, ex quo quatuor paſſim emicant folia, circumſident, bipetali, difformes, candidiſſimi, unum illorum longius eſt & explanatum, alterum multo brevius, cuculiforme, exterius lanuginoſum, orificio petalum reſpiciens apertum. *Stamina* in illis quatuor, brevia, tenuia, alba, quorum apices rotundi, *ſtylus* tenuis & albicans. *Semina* in calycibus conſpiciuntur quatuor, in orbem ſibi mutuo adjacentia, oblonga, aliquo modo conica ac trilatera, duobus lateribus planis & æqualibus, tertio rotundo, coloris nigerrimi. Toto reperitur anno ſemper florens; ex florum pede melleus quaſi liquor extrahitur. *Oleo* incocta ſcabiem ſanat; *ſuccus* vermes in ulceribus enecat; cum *calce* morſui medetur canis; naribus immiſſus dolores ſedat capitis; *radix* in decocto data lepram tollit; *radices* maſticatæ, vel etiam foliorum manſorum halitus, nubeculam tollit.

TAB. 91.

Inter ſpecies pertinet *Nepetæ*, ac inter Malabarienſes ejuſdem eſt uſus; ego dicerem *Nepeta Indica, ſideriti folio, floribus ſpicatis.*

Kátú-tumba lat.

കാട്ടുതുമ്പ Mal.

Boin-túlassi

भुतुळसी bram.

قتوطومبا arab.



Ocymum rugosum. Thunb.?

KATTU-TUMBA.

TABULA XCII.

PLantula eſt altitudine duum pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* ruffo albicans, fibroſa, lignoſa, odoris fragrantis & grati. *Caules* tenues, quadrilateri, ſtriati, pilis longiuſculis, albicantibus veſtiti. *Folia* oblongo-rotunda, anguſta, ſerrata, piloſa, in adverſa parte *coſtis*, quæ rectam ſtriant, obducta, ſubamara. *Flores* ſpicati, foliolis parvis ſuccincti, parvi, pentapetali, purpurei, ex *calycibus* transverſis, oblongis, parum piloſis emicantes; ſicci cum calyce ruffeſcentes, tria, quatuor, quinqueve *ſemina* plane nigra & nonnihil nitentia, orificio interiore continentes. Oleo frixa, & aurium orbi perfuſa, intolerabiles capitis ſedat dolores.

TAB. 92.

Species *Nepetæ* eſt *Sylveſtris* & propriè *Nepeta Indica ſylveſtris, flore purpureo, ſpicato.*

Carim-túmba Lat.

കരിംതുമ്പ Mal.

فَحَارِيْنْ طُونْبُحَا Arab.

तुाबा bram



Nepeta malabarica. L.

CARIM-TUMBA.

TABULA XCIII.

LIngua Bramannum *Caco-Tumba*, in totum aromatica. *Radix* ut præcedentis. *Caules* iidem ſed craſſiores, rotundi, non ſtriati, pilis numeroſioribus & longioribus obſiti, ſuperius viridi albicantes, inferius hinc inde rubeſcentes, quorum medulla viridis & aquea. *Folia* tria quatuorve breviſſimis petiolis in ſingulis nodulis caulem ambiunt, minus oblonga & latiora, in margine profundius ac copioſius inciſa, nervis denſioribus, veſtigia quoque in recta parte relinquentibus, in adverſa ſtriata, magis piloſa, viroris obſcuri, odoris fortis, vegeti, ac magis grati, ſaporis valde acris & ſubamari. *Flores* ſpicati, cærulei, bipetali, unum capituli baſi obverſum latius eſt, trifariam inciſum, in medio paulo infra oras albicans. *Stamina* in illis quatuor, parva, tenuia, albicantia & ſubcærulea, *apicibus* albicantibus dotata. *Stylus* tenuis eſt, in ſummitate in latum extenuatus. *Capſulæ ſeminales* cuſpidatiæ; *ſemina* in illis numeroſa, ruffo fuſca. *Oleum* per diſtillationem extractum clarum eſt & flaveſcens ceu rubeſcens, transparens, odoris gravis, ſaporis acris & ſubamari. *Succus* addito tantillo *ſacchari Jagra* dicti phlegmata ejicit. Decoctum antiarthriticum eſt, ſi corpus eo lavetur; *flores* eundem in finem condiuntur.

TAB. 93.

Hæc ut & duæ præcedentes ſpecies ſunt *Nepetæ*, vocari poteſt, *Nepeta Malabarica, ſolio latiore, flore cæruleo ex albido.*

Tsjérú-tardável Lat.

ചെറുതാർതാവെൽ Mal.

جهرو كارضحاويل Arab.



Ziziphora capitata. L.?

TSJERU-TARDAVEL.

TABULA XCIV.

PLanta humilis, naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa, albicans. *Caules* rotundioli, geniculati, virides. *Folia* geniculis geminata inſident, rotunda, anterius in cuſpidem ſtricta, tenuia, lenia, pilis raris, oblongiuſculis, albicantibus, maxime in *coſtarum* tractu, quæ in adverſa eminent, obducta, viroris fuſci. *Flores* ſpicati, bipetali, difformes, petalorum maximum albicat, ſuperne rubeſcens, minimum roſaceo ſaturum eſt, in medio ſaturius, in collo albicans. *Stamina* in illis duo, rubris *apicibus* nodulata, in quorum medio *ſtylus* conſpicitur. Cum *ſtercore* vetuſto bufali in *Oryzæ* decocto levigata, vel etiam pulveriſata, & læſæ parti impoſita, noxios veſparum, fucorumque (Malabarice *Magalla*) morſus, fruſtra facit.

TAB. 94.

In delineatione piloſitas qua circumducta eſt non bene obſervata eſt. Planta hæc eſt ſui generis, ſine conſpecie.

FINIS

I N D E X.

Prior numerus tabulam, poſterior paginam deſignat.

A.

ADaca-Manjen. 43. 85
Ana-Coluppa. 47. 93
Ana-Schovadi. 7. 13
Andi-Malleri. 75. 149
Araka-Puda. 20. 39

B.

Belutta-Adeka-Manjen. 38. 75
Belutta-Itti-Kanni. 4. 7
Belutta-Modela-Muccu. 80. 159
Ben-Pala. 58. 115
Bena-Patsja. 48. 95
Brami. 14. 27
Bula. 30. 59

C.

Caca-Mullu. 72. 143
Cadelari. 78. 155
Caicotten-Pala. 33. 65
Cajenneam. 41. 81
Cansjen-Cora. 52. 103
Carim-Tumba. 93. 185
Cattu-Tirtava. 86. 171
Codagen. 46. 91
Coluppa. 11. 21
Cottam. 77. 153
Cupameni. 81. 161

I.

Inota-Inodien. 70. 139

K.

Kaipa-Tsjira. 24. 47
Kanneli-Itti-Kanni. 5. 9
Kalengi-Kansjava. 60. 119
Kara-Tsjira. 36. 71
Karinta-Kali. 21. 41
Kattu-Tumba. 92. 183
Katu-Kurka. 90. 179
Katu-Mailoſina. 66. 131
Kattu-Tjetti-Pu. 45. 89
Katu-Uren. 54. 107
Kilckola-Tsjetti. 57. 113
Kirganeli. 15. 29
Kurundoti. 18. 35

M.

Manga-Nari. 6. 11
Manja-Adeka-Manjen. 17. 33
Manam-Podam. 65. 129
Moetoe. 70. 139
Muel-Schevy. 68. 135
Muriguti. 32. 63

N.

Naga-Dante. 76. 151
Naga-Pu. 56. 111
Nala-Tirtava. 85. 169
Nanſchera-Canſchabu. 50. 99
Nari-Patsja. 62. 123
Naru-Nundi. 34. 67
Nela-Naregam. 22. 43
Nela-Tsjira. 31. 61
Nela-Vaga. 69. 137
Nelam-Pata. 49. 97
Nelam-Pullu. 19. 37
Nelen-Tsjunda. 73. 145
Nila-Barudena. 74. 147
Nir-Cottam-Pala. 51. 101
Nir-Pulla. 27. 53
Nir-Pulli. 13. 25
Nir-Valli-Pulli. 12. 23
Niruri. 27. 53
Niuren. 55. 109

P.

Parpadagam. 35. 69
Pee-Cajenneam. 42. 83
Pee-Coipa. 67. 133
Pee-Cupameni. 82. 163
Pee-Iniota-Iniodien. 71. 141
Perim-Tolaſſi. 84. 167
Pu-Tumba. 63. 125
Puam-Curundala. 64. 127

S.

Schada-Veli-Kelengu. 10. 19
Schanganam-Pullu. 23. 45
Scheru-Bula. 29. 57
Scheru-Cadelari. 79. 157
Schetti-Codiveli. 9. 17
Sjaſmin. 1. 1
Soladi-Tirtava. 87. 173

T.

Tjeru-Kirganeli. 16. 31
Tsjadaen. 88. 175
Tjseria-Belutta-Adeka-Manjen. 39. 77
Tsjeria-Manga-Nari. 89. 177
Tsjeru-Cansjava. 61. 121

I N D E X.

Tsjeru-Jonganam-Pullu. 26. 51
Tsjeru-Parua. 53. 105
Tsjeru-Talu-Dama. 25. 49
Tsjeru-Tardavel. 94. 187
Tsjeru-Vallel. 28. 55
Tsjetti-Pu. 44. 87
Tumba. 91. 181
Tumba-Codiveli. 8. 15

V.

Valli-Itti Canni. 3. 5
Vallia-Manga-Nari. 40. 79
Uren. 2. 3

W.

Wadapu. 37. 73
Welia-Cupameni. 83. 165
Wellia-Codiveli. 59. 117